MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80601-11

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR: FISCHER, THEOBALD

TITLE: QVALES SE PRAEBVERINT....

PLACE: BONNAE

DATE: 1868

Master Negative #

92-801601-11

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

943.026
Z81 **Fischer, Theobald, 1846–1910.**

Qvales se praebverint principes stirpis Wettinicae Rvdolfo et Adolfo regibvs ... Bonnae, formis C. Georgi, 1868.

2 p. l., 83, (1) p. fold. table. 20½cm.

Diss.—Bonn.
Vita.

1. Wettin, House of.

10–19090†

Library of Congress DD801.S364F6

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6/22/92 INITIALS BH
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
Inches
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

943.026
Z81

QVALES SE PRAEBVERINT PRINCIPES STIRPIS WETTINICAE RVDOLFO ET ADOLFO REGIBVS.

DISSERTATIO HISTORICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN ACADEMIA

FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXVIII MENSIS MARTII A. MDCCCLXVIII

PVBLICE DEFENDET

THEOBALD FISCHER

SAXO-BORVSSVS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

FERD. HENRICH, PHIL. DR., DES. RHENANVS,
IOH. LANDFERMANN, STVD. PHIL. ET HIST., RHENANVS,
WILH. SCHADY, STVD. PHIL., MOENOFRANCOFVRTANVS.

BONNAE

FORMIS CAROLI GEORGI

MDCCCLXVIII.

ERNESTO DVEMMLERO.

Ad accuratius pertractandam partem historiae cuiusdam provinciae eo animo accedo, ut ante omnia ea temporis spatia magis illustrem, quibus historia terrarum et principum unius domus rebus mire et singulariter inter se coniunctis tanti momenti facta est, ut in historia imperii Germanici praevaleat. Quare historia Thuringiae-Misniae sub fivem saeculi XIII accuratissime explicata, simul ad illustrandam historiam imperii illius aetatis quaedam conferre mihi in animo est. Praeterea errores quidam tollendi erant, qui ex fontibus posteriorum temporum in historiam subrepserant. Ut unum tantummodo afferam Fridericus, Alberti Thuringiae landgravii alter filius, ab ipsis historicis nostrae aetatis, a Tittmanno et Boehmero[1]). Admorsus appellatur, quamvis satis constet, nullum aequalem auctorum hoc cognomine uti et primum Iohannem Rothe, scriptorem saeculi XV[2]), fabellam de gena admorsa Friderici in historiam induxisse.

Thuringia, usque ad illud tempus magnopere diffisa a Ludowico Barbato eiusque successoribus inde ab initio saeculi XI magis magisque corroborata, ad insignem terrorum circuitum succreverat. Comites illi Franconia orti, dolo pariter ac fortitudine angustiis temporum, imprimis Henricis IV et V regnantibus ad promovendam potentiam suam usi erant.

1) cf. Tittmann: „Heinrich der Erlauchte“ et Boehmeri Regesta Adolphi regis ad mensem septembrem 1294.

2) Johannes Rothe: Düringische Chronik ed. de Liliencron. p. 435.

Saeculo XIII autem Thuringia quoque per perniciosum tempus interregni omnium malorum abundantia obruta est, praesertim cum post mortem ultimi landgravii illius stirpis Henrici Raspe [1]), bello de successione orto per multos annos omnia vis, ius nihil in terra valeret. Iam anno 1242 Fridericus II. imperator Henrico Illustri, marchioni Misnensi ex stirpe Wettinica, ius succedendi in landgraviatu Thuringiae concesserat [2]) ne inter heredes lites orirentur. Henricus, nepos Hermanni landgravii, ab omnibus fere Thuringiae nobilibus in concilio apud Weissenfelsam dominus receptus erat [3]). His contemptis affectabat terram Sophia, Brabantiae ducissa pro filiolo Henrico, illius Hermanni pronepote [4]). Albertus dux Brunswicensis, adiutor huius petitionis, a filiis Henrici marchionis, Alberto et Theoderico, die 27. Octobris 1263 haud procul a castro Wettin devictus et captus est. Anno insequente pax composita est, qua Henricus Sophiae filius Thuringiae renuntiavit; Hassiam cum quibusdam castris ad Werram fluvium sitis et oppidum Weissensee pro 600 marcis argenti oppigneratam retinuit [5]).

Henricus Illustris Thuringiae landgravius, Misnensis marchio anno 1265 filiis partes terrarum concessit, Alberto Thuringiam, palatinatum Saxoniae, terram Plisnensem; Theoderico marchiam Landsbergensem [6]). Iam antea Henricus filios, praesertim Albertum terrae administrandae participes fecerat; Albertus anno 1255 cum Hermanno comite de Henneberg iudex per totam Thuringiam constitutus

1) Henricus Raspe mortuus est die 17. Februarii 1247.

2) Documentum Friderici datum Beneventi die 30. Iunii 1247: Luenig Reichsarchiv pars. spec. cont. II. p. 177.

3) Doc. nobilium et comitum Thuringiae: Luenig l. c.

4) V. stemma, quod adiectis et correctis quibusdam discrepat a Wegeliano editioni Annalium Reinhardsbrunnensium addito.

5) Annales Reinhardbrunnenses ed. Wegele p. 236.

6) Ann. Reinh. p. 237.

erat [1]). Thuringia recepit Albertum principem, qui, florens prima aetate virili. coniux Margarethae, Friderici II. imperatoris filiae, si bona indole ad virtutem praeditus erat, locum insignem inter principes affectare et facile obtinere poterat. Laudis bellicae cupidum iuvenis landgravius se praebuit eodem anno 1265 expeditione sacra in Borussiam facta, quae vero lenitate hiemis ad irritum redacta est [2]).

Matrimonium Alberti cum Margaretha, pro cuius dote pignoris loco terram Plisnensem acceperat, nequaquam placidum erat, licet tres filii et una filia nati essent. Pueros matrem dilectam a patre despectam et iniuriis affectam videntes magis in dies ab eo animis alienatos esse verisimile est. Albertus enim Margaretham, cui puer ad firmandam imperatori hoc vinculo fidem Wettinorum sponsus erat, in matrimonium duxerat, ubi vix iuvenilem aetatem ingressus est. Cum uxorem fortasse nunquam amavisset, coniugium mox gravissimum vinculum ei apparuisse videtur, ubi post excidium Stauforum nihil emolumenti inde sperandum fuit. Quo factum est, ut landgravius omni verecundia reposita quandam de pedisequis uxoris, Cunigundam de Eisenberg, pellicis loco haberet ex qua viva Margaretha quortum filium, qui vulgari sermone Apitz dicitur, procreasse videtur [3]). Margaretha, quae nobis depingitur matrona augusta et munda [4]), ubi multa mala et opprobria perpessa est, tanta contumelia incensa a coniuge discedendi consilium cepit. Cum fuga Margarethae nequaquam repentina, sed a fideli-

1) cf. doc. Theodorici de Wippach apud Hornium: Henricus Illustris p. 375, apud Hahnium: Collectio monumentorum ineditorum I p. 98. Rudolphi: Gotha diplomatica I 30.

2) Ann. Reinh. 237.

3) Ann. Reinh. p. 240. Huc pertinere videntur versus 1305 et 1306 carminis occulti autoris historici quod extat: Sitzungsberichte der Wiener Akademie der Wissenschaften. Bd. 37, 3, 183. cf. additamentum I.

4) carmen occ. aut. v. 1298 ss.

bus praeparata fuisset, consentaneum erat, eam ante discessum filios salutasse; attamen quae nobis ab auctore recentioris aetatis de hoc discessu traduntur sine dubio concriptionem fabellae Isenacensis existimaverim [1]). Margaretha landgravia Francofurtum se contulit ibique eodem anno 1270 mortua est.

Sed non solum uxor landgravii, sed etiam pater Henricus marchio malis moribus filii iniurias et detrimenta cepit. Albertus enim, quamvis maiore parte terrarum a patre ditatus esset ea non contentus reliquam quoque affectabat. Coniunctus cum fratre Theoderico marchione Landsbergensi libertate patris in periculum vocata tentasse videtur, ut propositum assequeretur. Sed Henricus marchio auctoritate praevalens concilio plurimorum dynastarum nobiliumque Thuringiae-Misniae Tarantum convocato rem transegit. Albertus de omnibus iuribus quae affectaverat ex eo tempore quo ad administrandam terram accesserat, cedere coactus est. Iureiurando interposito sese nec patri insidias paraturum, neque terras, amicos, consiliarios eius turbaturum neve deinceps cum fratre Theoderico adversus patrem foedus initurum esse pollicitus est. Quo iureiurando violato patrem ad suum arbitrium, sed accedente auctoritate et iussu Withegonis episcopi Misnensis et Hermanni comitis de Henneberg, terras hereditarias Theodorico fratri vel alii cuiquam assignare posse. Quae pactio facta est Taranti die 30. Aprilis 1270 [2]). Landgravius in Thuringiam redux paullo post uxore mortua, pellicem suam Cunigundam in matrimonium duxit. Cui matrimonio filii quoque assensi esse videntur [3]).

1) Johannes Rothe: Düringische Chronik ed. de Liliencron. p. 435.

2) Documentum huius pactionis exstat apud Hornium. Tarantum est Tharand prope Dresdam.

3) Quod intelligitur ex documento Alberti die 31. Oct. 1286 dato apud Wilkium: Ticemannus, codex diplomaticus Nro. 30. Carmen occ. autoris V. 1313.

Hos filios proximis annis post mortem matris sub oculis patris educatos esse ex documentis eius intelligitur, ubi liberorum Henrici, Friderici, Theodorici, Agnetis donationes quasdam collaudantium mentionem facit [1]). Quare refutandum est, quod Tittmannus auctore Rothe filios a patruo Theoderico Landsbergam abductos ibique educatos esse contendit; praesertim cum in documentis Theoderici illo tempore datis nusquam illorum mentio facta sit [2]).

Status Thuringiae tunc miserrimus fuisse videtur, cum landgravius Cunigundae deditus in castris suis vitam per luxuriam et mollitiem degeret, terra administrandae fere nullam curam imperideret. Civitas Weissensee anno 1264 oppignerata nondum redemta erat et advocatus Henrici, Hassiae landgravii, longe lateque per terram nemine adversante praedabatur. Mox eo audaciae processit, ut sub oculis landgravii centum equos per vim auferret, quos ille in castro Tenneberg quiescens, in coenobio Reinhardsbrunn in stabulo collocaverat. Sed hoc ferocissimum facinus landgravium ita non commovit, ut, ubi nuntiatum est, iratus diceret, cur ipsum propter tam parvam rem turbassent. Tanta negligentia landgravii nobiles Thuringiae, ut iniuriis illis finem constituerent, commune vectigal de omnibus praediis exigere coacti sunt. Summa pecuniae hac ratione comparata civitas Weissensee redemta est [3]). Hac re perspicere possumus quam parva auctoritas landgravii fuerit; quod magis etiam apparet bello anno 1275 inter Erforten-

1) Documenta Alberti apud Wilkium l. c. Nro. 13 datum die 17. Aprilis 1272, et datum die 10. Aprilis 1273: Urkundenbuch für Nieder-Sachsen I, III. p. 271, 275.

2) cf. chartarium Abbatiae Bosau apud Schoettgen: diplomata et scriptores II.

3) Annales Reinhardsbrunnenses p. 244.

ses et comites vicinos orto, quo cives victores, quamvis foedere cum landgravio coniuncti essent [1]), archiepiscopum Moguntinum ad discordias sedandas acciverunt [2]). Maiori constantia Theodoricus Landsbergensis marchio pacem in marchia sua tuitus est et 34 latrones et praedatores captos decollari iussit [3]). Idem marchio cum fratre discors eodam anno una cum Conrado archiepiscopo Magdeburgensi incursione in Thuringiam facta in mediam terram usque ad civitatem Tennstaedt pervenit ibique castra metatus est. Cum autem landgravius cum exercitu celeriter collecto appropinquaret iam insequente die de terra cedere coacti sunt [4]). Qua de causa haec discordia inter fratres orta sit, nusquam traditur; de re autem minime dubitari potest, quod re vera illo tempore Conradus (de Sternberg) archiepiscopatum Magdeburgensem obtinuit [5]), neque fides auctoris nostri aequalis ullo loco suspecta haberi potest. Paullo post fratres in gratiam redierunt et anno 1277 coniuncto exercitu comitem de Berka aggressi sunt eiusque castrum destruxerunt. Tunc vero comites, nobiles, ministeriales Thuringiae in arma consurrexerunt contra landgravium eumque auctoritate pacis iuratae castrum restituere coëgerunt [6]).

In his rebus omnibus filiorum Alberti nusquam mentio fit, quamquam tunc eam aetatem agebant, qua pater iam iudex Thuringiae constitutus fuerat [7]). Nomina eorum nobis

1) documentum Alberti apud Luenigium l. c. p. 429.

2) Chron. S. Petri Erf. apud Menckenium III. p. 284.

3) Chron. S. Petri Erf. p. 285.

4) Siffridus Presbyter Misnensis: Compendium historiarum apud Pistorium I, 1047.

5) Chron. Magdeburgense apud Meibonium II. p. 331.

6) Ann. Reinh. p. 249.

7) Albertus natus est anno 1240; Henricus filius die 21. Martii 1256 natus esse non potest, quod hoc anno Albertus uxorem duxit. Praeterea Pertzius demonstravit has res saec. XIV in Annales Veterocellenses (Monumenta Germaniae T. XVI.) interpositas esse; auctorem horum annalium initium anni a die 25. Martii duxisse, quo nostra ratione dies 21. Martii 1257 efficeretur, non verisimile est, quod nobis ibidem mors Conradi episcopi Misnensis sub anno 1258 narratur; quem episcopum dies 7. Ianuarii 1258 mortuum esse Gersdorfius demonstravit in codice diplomatico Saxoniae regiae II, I p. XVIII. Fridericium anno 1257, Theodericum 1260 natos esse verisimile est.

non nisi in documento Alberti anno 1279 dato, quo landgravius beneficio cum consensu filiorum et heredum suorum coenobio Portensi oblato fidem facit [1]). Eodem tempore aula patris relicta Henricus et Theodericus domini terrae Plisnensis facti sunt, quam terram usque ad illud tempus per advocatos administratam, pater ipsis concesserat [2]). Fridericus eodem anno ad patruum Theodericum se contulit eumque adiuvit in bello contra ministeriales Magdeburgenses et comites Anhaltinos gesto [3]). Quamvis vix dubitari potest, quin landgravius, ubi a nobilibus castrum Berkam restituere coactus est, ad observandam pacem intentior fuerit, terram tamen nequaquam pace firma pacatam fuisse existimandum est. Per efferatam petulantiam morum illius aetatis, quam nobis Albertus accuratissime ante oculos proponit, vel exigua res temporis puncto tempestatem terrae perniciosissimam facillime excitare poterat. Nobiles Thu-

1) documentum Alberti apud Wilkium, in codice diplomatico Nro. 16.

2) Uterque frater appellatur dominus terrae Plisnensis in documento Alberti burggravii Altenburgensis anno 1279 dato apud Wilkium 17; ipse Theodericus hoc titulo utitur in doc. anno 1280 dato: Urkundenbuch für Nieder-Sachsen 459. Henricus in doc. Theoderici Landsbergensis dato die 19. Nov. 1281. cf. quoque Tittmann: Heinrich der Erlauchte II p. 270.

3) Annales Veterocellenses apud Menckenium II p. 406 et 407, cf. Hoffmannum: Geschichte der Stadt Magdeburg I p. 193. carmen occ. aut. V. 2135 ss., Chron. S. Petri Erf. ad. a. 1280 apud Menckenium III. p. 291.

ringiae ab artibus et bonis pacis desuefacti per pacem quoque vitam inconstantem degebant. Praesertim coenobiis oneri erant, quorum bona absumebant equites, cotidie velut in hospitium advenientes et abeuntes. Omnes autem landgravius ipse superbia et petulentia superavit. Erant in populo, qui dominationem priorum landgraviorum cognovissent: lenitas et pietas Ludovici IV. omnium in oribus cordibusque versabantur [1]). Eo magis hic princeps efferatis moribus et vita prodiga omnium oculos in se converteret necesse erat. Fieri non poterat, quin malum exemplum eius multum valeret ad depravandos mores, tempore nimirum quo principes et populi eadem fere eruditione iisdemque artibus oblectabantur.

Landgravio sic res male gerente, non mirum est, quod anno 1281 magna pars nobilium iuniorem filium Theodericum arma in patrem ferentem adiuvit. Quid causae huius facinoris fuerit non satis constat, sed Theodericum illo tempore summis angustiis et inopia oppressum fuisse eo perspicimus, quod pecuniae summam a coenobio Walkenriedensi exigere coactus fuit, qua carere sese nulla ratione potuisse per deum iurat [2]). Annales [3]) solum Theodericum cum patre dicordem fuisse affirmant; verum tamen verisimile est primo Fridericum quoque cum fratre coniunctum patri infensum fuisse [4]). Fridericus fortasse ea re instimulatus est, quod solus, quamvis iam diu aetatem virilem iniisset, a patre terrae administrandae non particeps factus erat. Nec parvi aestimandum est, quod nonnulli nobiles,

1) Carmen occulti autoris historicum v. 1042 ss.

2) doc. Theoderici datum Weissensee die 23. Dec. 1280: Urkundenbuch für Nieder-Sachsen Nro. 459. Titulus: Theodericus d. g. Iunior Landgravius Thuringorum et dominus terrae Plisnensis.

3) Chron. S. Petri Erf. p. 292. Ann. Reinh. p. 252.

4) Hanc sententiam affirmare videntur Additiones ad Lambertem apud Pistorium I. p. 434.

qui a partibus iuvenum stabant, eos incitabant, consilio armisque adiuvabant. Adiunxerant se ad iuvenem grincipem imprimis nobiles minorum ordinum: domini de Schlotheim, de Vargula, de Berka; cives Mulhusenses Theoderico auxilium tulisse non satis constat, sed munitionem quam landgravius intra moenia urbis exstruxerat, illo tempore destruxerunt.

Contra landgravio favebant comites potentissimi de Kaefernburg, de Gleichen, de Lauterberg, de Brandenberg et domini de Mila, qui omnibus fere temporibus Alberto familiarissimi fuerunt. Magni momenti autem est quod cives Erfortenses landgravium adiuvabant, qui tunc cum comitibus Gleichensibus arctissimo foedere coniuncti [1]) ab Alberto favore multifarie oblato ad magnam potentiam aucti erant.

Tota fere Thuringia in duas partes divisa landgravius animum alterius filii Friderici sibi reconciliavit eique ineunte anno 1281 palatinatum Saxoniae concessit. Iam die 22. Aprilis 1281 Fridericus titulo comitis palatini Saxoniae ornatus Eisenbergae documentum dedit [2]). Ibi Fridericus proximis annis sedem habuit. Inde sub finem mensis Iulii ad civitatem Thamsbrueck profectus patrem convenit et cum eo bono consensu coenobio monialium Beuren praedia quaedam tradidit [3]). In documento huius donationis Albertus landgravius Thuringiae, comes palatinus Saxoniae, Fridericum appellat dilectum filium, illustrem principem, Saxoniae comitem palatinum. Ex quibus documentis intelligitur Fridericum tunc arma non contra patrem tulisse. Quid Henricus fecerit non traditur.

Hoc bellum initio anni 1281 ortum ut pleraque bella intestina illius aetatis parva utrimque manu gestum est. Cum

1) doc. XIII in diplomatibus Gleichensibus apud Menckenium I. apud Luenigium: Reichsarchiv p. sp. cont. II p. 358.

2) Argumentum huius documenti publici iuris factum est ex tabulis authenticis a Tittmanno II Jahrbuch 1281.

3) doc. Alberti datum Thamsbruck die 4. Aug. 1281 apud Gudenum: Sylloge variorum diplomatariorum p. 318.

centenis vel ducentenis armatis, iisque equitibus magna ex parte, tumultuariis proeliis pugnabatur; utraeque partes summa ope nitebantur, ut adversariis crebris incursionibus et agros devastando quam maxima detrimenta inferrent. Qua ratione bellandi praedia et rustici magna damna facerent necesse erat. Milites hostibus appropinquantibus in castra se recipere poterant, quae non nisi raro obsidebantur et expugnabantur, expugnata autem semper fere destruebantur. Erfortenses ab amicis Theoderici maxime infestati sunt, qui e castris vicinis Neumark, Buttelstedt, Vargula, Berka omnes fere aditus urbis intercludere poterant. Mox Theodericus eo audaciae processit, ut ad ipsas portas Erfordiae cum equitum turmis accurreret vicinasque villas cum ipsis suburbiis incenderet. Tum vero cives animis collectis arma ceperunt; opifices officina relicta ex portis erumpentes sub muris manus cum hostibus conseruerunt. Laudem insignem sibi pararunt textores, quorum virtute Theodericus princeps victus et ab urbe repulsus est [1]). Nihilominus Erfortenses, quamvis hac victoria elati essent, petierunt a landgravio, ut in pacem generalem, quae ab eo cum fratre Theoderico Landsbergensi instituta erat, reciperentur. Albertus consilio cum nobilibus et ministerialibus habito accedente consensu Theoderici marchionis cives in pacem recepit. Insuper pollicitus est sese non prius in bello, quod gerebat cum Theoderico filio et cum adiutoribus eius pacem initurum, quam Erfordia urbs eius particeps facta esset. Deinde affirmat se cum Erfurtensibus quam primum ad obsidenda castra Buttelstedt, Neumark, Vargulam accessurum, neque prius recessurum quam castra Neumark et Vargula funditus destructa essent; Buttelstedt cum aliis munitionibus, quippe quae ad ecclesiam pertinerent, expugnatum non destruendum, sed propter deum conservandum esse [2]).

1) Carmen occulti autoris 1685—91. cf. additamentum I.

2) Doc. Alberti apud Luenigium: Reichsarchiv p. sp. cont. II p. 432.

Paullo post Erfortenses castrum proximum et perniciosissimum Neumark expugnarunt et funditus everterunt. Quod factum est die 13. Maii [1]). Contra Theodericus eodem tempore Christianum episcopum Sambiensem, fratrem ordinis Teutonici et consiliarium Alberti Landgravii, cepit eumque abductum in castrum. Schlotheim aliquamdiu detinuit. Episcopus captivus trecentis marcis argenti se redimere coactus est. Iam die 4. Augusti una cum Friderico comite palatino Saxoniae apud landgravium Thamsbruccae aderat. Postea autem ipse Theodericus ex improvisso a comite de Kaefernburg captus et landgravio traditus est, qui cum in castro Wartburg custodiendum curavit. Theoderico capto seditionem quoque sedatam esse, non verisimile; initio demum anni 1282 landgravius cum filio et cum amicis eius reconciliatus esse videtur: die 25. Ianuarii in castro Wartburg Albertus cum tribus filiis optima unamimitate coenobio Reinhardsbrunnensi donatione quadam benevolentiam suam praestat. Praeter alios nobiles praesentes aderant Guntherus de Schlotheim et comes de Kaefernburg [2]). Neque tamen hac reconciliatione Theodericus ex captivitate dimissus est; peracto demum toto fere anno, ab amicis et ministris suis, quibus aditus castri notissimi erant, noctu liberatus est [3]).

Conditio rerum interea mutata non erat. Quod Erfortenses cum archiepiscopo Moguntino in gratiam redierant in res externas nihil valuit. Item nullius fere momenti fuit quod cives Mulhusenses die 13. Iulii in pacem cum landgravio redierant, nam antea Theodericum non adiuvisse videntur. Mulhusa urbe anno circiter 1276 a Rudolfo rege Alberto landgravio 2500 marcis argenti appignerata, cives

1) Chron. S. Petri Erf. p. 292.

2) doc. Alberti datum die 25. Ian. 1282 apud Wilkium N. 24; apud Schannatum: Vindemiae litterariae, Chartarium Reinhardshornense N. 36 exstat hoc doc. die 1. Febr. datum.

3) Chron. S. Petri Erf. 292 cf. quae Rothe p. 456 de hac captivitate tradit.

anno 1278, ubi bellum cum Otakaro rege repente renovatum est, affirmaverant sese insuper 4000 marcis pignori fore, si landgravius regi auxilio veniret [1]). Licet hanc appigerationem effectam esse non verisimile sit, priorem tunc nondum sublatam fuisse ex eo intellegitur, quod landgravius munitiones in urbe instituerat. Hae munitiones illo tempore a civibus destructae erant. Haud incredibile est civitatem cum landgravio reconciliatam esse ad arbitrium et per intercessionem Rudolfi regis. Nam Guntherus comes de Schwarzburg, quem eo tempore apud Rudolfum negotiis imperii occupatum invenimus [2]), plurimum ad reconciliandam civitatem cum landgravio valuisse videtur. Albertus consilio comitis usus agnovit legatis Mulhusensibus in castro Wartberg praesentibus destructionem munitionis et omnes alias res, quibus animum suum offendissent, iisque promisit sese in posterum cives odio non persecutorum [3]).

Theoderico captivitate liberato bellum vehementissime redintegratum constitit circa castrum Berkam ad Ilmam fluvium situm. Landgravius ad auxilium vocavit fratrem Theodericum qui coniunctis exercitibus castrum obsedit. Tum iuvenis princeps, ubi intellexit, sese his nimiis copiis succubiturum esse, utili consilio usus sibi despondit Iuttam sororem Bertholdi comitis de Henneberg. Quae cum sororis filia comitum de Schwarzburg et cognata comitum de Kaefernburg esset, Theodericus affinitatem cum potentissimis hostibus suis iunxit. Profecto Theodericus hanc sponsam optimam sociam sibi comparaverat, qua adiutrice celerrime assecutus est, quod armis et vi vix assequi potuisset. Nam comites haec sponsalia facta audientes cum iuveni principe pacti sunt et cum copiis suis ab absidione castri recesserunt. Quorum recessu immutatione rerum facta marchio Theodericus, cum

1) documentum civium Mulhusensium datum die 20. Augusti 1278 apud Lichnowsky: Habsburgische Regesten N. 520.

2) cf. Boehmerum: Reg. Rud. 584, 586, 709.

3) documenti Alberti datum in castro Wartburg die 13. Iulii 1282 apud Grasshofium: de Mulhusa p. 224, N. 59.

iam adversariorum impetus sustinere non posset obsidionem finire coactus est statimque turpiter a castro et ex tota Thuringia castra movit [1]).

Iterum ante castrum Berkam debilitata potentia et auctoritas landgravii ignominiosam cladem acceperat. Fridericus, alter filius eius palatinatum Saxoniae adeptus erat, Theodericus affinitate et rebus in bello contra patrem gestis auctus erat: uterque permagnam auctoritatem in Thuringia sibi comparaverat et inde ab hoc tempore idem fere ac pater ac res gerendas valuit [2]). Ac primum quidem Aloertus a fratre desertus cum filio Theoderico pacisci coactus est. In quas conditiones pax convenerit, non satis constat; unam conditionem satis accurate perspicimus, qua terra Plisnensis Theoderico liberae et propriae possessionis loco tradita est. Henricus, qui inde ab anno 1279 terra cum Theoderico administraverat, mense Novembri 1281 sese dominum terrae Plisnensis appellavit, deinde autem a patre terra privatus est [3]). In castro Wartburg die 25. Ian. 1282 ultimo nominatur, inde nomen eius in historia Thuringiae nobis nusquam occurrit. Quare hucusque ignotum fuit qua sorte usus sit. Nunc vero in aperto est eum terra privatum anno 1283 circiter de Thuringia recessisse et in Silesiam se contulisse. Ibi cum ex filia Henrici tertii ducis Wratislaviensis in matrimonium ducta filium procreasset anno 1286 mortuus est [4]).

1) Ann. Reinh. p. 252 et 253. cf. C. W. Boettiger: Geschichte des Kurstaats und Königreichs Sachsen I p. 234 2. Aufl.

2) cf. documentum Friderici datum die 18. Dec. 1284: Luenig l. c. p. spec. IV cont. II p. 433.

3) Annales Veteroc. apud Menckenium II p. 407, 408.

4) In ann. Veteroc. p. 409 nobis narratur: Henricus filius Alberti Thuringiae Landgravii — accepta uxore Hedwige filia Ottonis Tertii Ducis Slesiae ex qua et filium genuit Fridericum, mortuus est —; fidem huius loci confirmat monachus Reinhardsbrunnensis p. 242: Hinricus vero adiens ducem Poloniae filiamque suam in uxorem accipiens ibidem finem vitae sortitus est. — Cum sic satis constet rem veram

Annis proximis concordia inter patrem et reliquos filios satis firmata fuisse videtur; die 5. Dec. 1283 invenimus eos in castro Wartburg terram bono consensu administrantes [1]). Fridericum cum patruo Theoderico illo tempore quoque amicitia coniunctum fuisse satis constat [2]). Qui marchio initio anni 1285 mortuus morum sinceritate et modestia terram exiguam per viginti annos administraverat pacemque in ea conservaverat. Quamvis rebus angustis impeditus fuisset, de imperio tamen et de rege Rudolfo bene meritus erat [3]). Ex uxore Helena Iohannis I marchionis Brandenburgensis filia [4]). praeter duas filias, quae moniales factae erant, unicum filium Fridericum procreaverat, qui iuvenis, patre praematura morte absumto, bona pace hereditatem adiit [5]).

Maioris momenti erat, quod Fridericus Saxoniae comes palatinus Agneti, Meinhardi comitis Tyrolensis filiae matrimonio se iunxit. Qua ratione Meinhardus et Fridericus coniuncti sint, non liquet, sed a veritate me non aberrare putaverim, contendens ipsum regem Rudolfum huius coniugii ineundi auctorem fuisse. Scimus enim ex una parte, Mein-

esse, insuper nostra aetate demonstratum est Henricum profecto in Silesia vixisse, cf. Gruenhagen: Zeitschrift des Vereins f. thüring. Gesch. u. Alt. IV 161—66.

1) doc. Alberti apud Lingenn: Kleine Schriften I p. 142.

2) Hoc quidem intelligitur ex documento Theoderici in monasterio Beuditz haud procul a Weissenfelsa dato die 28. Dec. 1282.

3) Boehmer: Reg. Rud. 609.

4) Ann. Veteroc. p. 406.

5) Theodericus mortuus est anno 1285: Siffridus Presbyter ad hunc annum: doc. eius exstat die 9. Nov. 1284 apud Wilkium N. 84; apud Menckenium III p. 889. primum documentum Friderici filii exstat anno 1285 datum apud Hoffmannum: Scriptores rerum Lusaticarum IV. cf. Tittmannum II ad. a. 1285. Fridericus iam ab aequalibus Tute cognominatus est propter linguae vitium: patruus eius Fridericus Dresdensis hoc cognomine utitur in documento anno 1309 dato: Wilkii cod. dipl. 167. Natus est Fridericus secundum annales Veterocellenses, apud Pertzium in Monumentis Germaniae XVI, anno 1269.

hardum comitem domui regiae Habsburgicae affinem factum, Elisabetha filia, Alberto, regis filio, iam anno 1276 in matrimonium data [1]), unde et ipse comes sibi gratiam regis conciliaverat [2]). Ex altera parte autem consentaneum est regem intentum fuisse ad obstringendam sibi et imperio eam principum domum, quam illis temporibus neque regis neque imperii vix ullam rationem habuisse constat. Qui tandem rex hoc consilium melius perficere potuisset, quam Friderico, viro optimae spei, affini filii sui matrimonio iuncto? In castris ante Wiennam auspiciis Alberti ducis die primo Iunii 1285 pactum est inter comitem palatinum et Meinhardum [3]). Hic se filiae dotem 4000 marcarum argenti daturum esse pollicitus est, quae pecunia ad emtionem possessionum impenderetur Fridericus contra civitatem Eisenbergam cum omnibus iuribus et reditibus, item castrum Lauchstaedt, feudum imperii, uxori suae se traditurum promisit. Huic pacto coniugali interfuerunt idque sigillis firmarunt, praeter comitem et comitem palatinum, Albertus dux et Leopoldus episcopus Seccaviensis. Paullo post Wiennae magna solemnitate nuptiae celebratae sunt, praesentibus episcopis Frisingensi et Seccaviensi ac permultis nobilibus et ministerialibus Austriae et Stiriae [4]). Fridericus deinde primus Wettinorum in curia solemni regis die 1. Febr. 1286 Augustae aderat, ubi socer, ritu solenni ducatu Carinthiae in feudum accepto, inter principes imperii receptus est [5]).

1) cf. Boehmeri Reg. additamentum II, p. 478 ad diem 15. Februarii 1276.

2) Boehmeri Reg. Rud. 721. 722, 729, 855, 859.

3) cf. Adelung: Directorium der süd-sächsischen Geschichte p. 135. Kopp: Geschichte der eidgenössischen Bünde I Beilage 17. Meinhardus generum suum appellat landgravium Thuringiae.

4) Chron. Austriae apud Rauchium: scriptores Austr. II p. 279, ubi vero per errorem Dietricus pro Friderico et Alhayde pro Agnete scriptum est; quod quidem Boehmerus Reg. add. II. p. 481 ad. annum 1285 non animadvertisse videtur.

5) Boehmer Reg. Rud. 859.

Hac affinitate auctoritatem Friderici in Thuringia auctam esse imprimis ex eo intelligitur quod ipse landgravius die 8. Iulii 1285 Weissenseae, cum eo foedus iniit, quo sese invicem se defensuros et altero absente vices gesturos constitutum est [1]). Fridericus inde in Misniam profectus avo Henrico contra seditiosos vasallos auxilium tulit. Ubi cum detrimenta cepisset et avo certam pecuniae summam mutuam dedisset, accepit pignora oppida Rochlitz et Doebeln [2]), paullo post Rosswein, Lommatsch, Mitweidam, Waldheim et Oederan [3]), ita ut Fridericus satis magnam partem marchiae Misnensis pignoris loco obtineret. Non parvi momenti est, quod omnes hae possessiones oppigneratae Friderico a landgravio confirmatae sunt [4]).

Eo tempore Cunigunda Alberti coniux mortua est. Ad salutem animae eius Albertus cum filiis coenobio S. Catharinae prope Isenacum, ubi uxor sepulta erat, villam Langenhain cum omnibus iuribus nt reditibus attribuit [5]).

Quamvis his annis principes concordes essent, pacem in Thuringia non satis firmatam fuisse constat et rex ipse primo oculos in hanc terram convertere coactus est. Quem ad finem, cum ipse bello contra comites Sueviae in Germania meridionali retineretur, die 21. Sept. 1286 Henricum archiepiscopum Moguntinum vice sua pacem per totam Thuringiam restituere iussit [6]). Priusquam autem archiepiscopus

1) argumentum documenti apud Tittmannum II ad. a 1285.

2) doc. datum die 11. Iunii 1286 apud Menckenium II p. 913. Tittmann II p. 277.

3) argumentum doc. Hernici marchionis dati die 10. Oct. 1286 apud Tittmannum II ad. a. 1286.

4) argumentum doc. apud Tittmannnm II p. 278.

5) doc. Alberti datum Erfordiae die 31. Oct. 1286 apud Lingenn.: Kleine Schriften I p. 143. Menckenium II 912. Albertus his verbis utitur: ex bona et vatuntaria collandatione nostrorum heredum, videlicet Friderici, Saxoniae comitis palatini, et Theoderici domini terrae Plisnensis filiorum nostrorum dilectorum.

6) Boehmer: Reg. Rud. 901 et p. 133.

in Thuringiam se conferre posset satis longum tempus praeteriit; regi ipsi auxilio eius in Suevia opus fuit? Deinde pace in Suevia restituta; archiepiscopus per mensem Decembrem mandata quaedam regis perficienda curavit et initio anni 1287 a Rheno in Thuringiam profectus est. Summa solemnitate a clero populoque Erfortensi receptus [1]) statim landgravium eiusque filios cum nobilibus terrae Erfordiam invitavit. Ubi cum permulti convenissent, consiliis et mandatis suis explicatis, concionem convocatam adhortatus est, ut ipsum in rapinis debellandis et in pace publica restituenda adiuvarent. Eloquentia archiepiscopi bonam causam defendentis victi, omnes sese diligentissime pacem per totam Thuringiam a festo beatae Walpurgis proximo per sex annos continuos observaturos et firmaturos iuraverunt [2]). Quae pax restituta et iurata est sub finem mensis Ianuarii, fortasse die 23. Ianuarii. Paullo post Bruno Numburgensis et Henricus Merseburgensis episcopi cum Friderico marchione Landsbergensi, vocati fortasse ab archiepiscopo, Erfordiam venerunt et iureiurando interposito pacem ab archiepiscopo institutam usque ad diem 1. Maii 1293 sese observaturos esse polliciti sunt [3]).

Archiepiscopus cum sic summa ope niteretur, ut mandata regis perficeret, ex altera parte quoque commoda ecclesiae suae promovenda curavit. Die 23. Ianuarii coenobio Walkenried ordinis cisterciensis, Moguntinae dioecesos, privilegia a decessoribus suis accepta rata fecit [4]). Eodem die Albertus landgravius, ut archiepiscopo favoris in restitutione pacis oblati gratiam referret, concessit, ut intra fines landgraviatus castra, munitiones, possessiones ubicunque et

1) Chron. S. Petri Erf. p. 293.

2) cf. doc. archiepiscopi Henrici datum Mulhusae die 12. Februarii 1287 apud Gudenum in cod. dipl. I 822.

3) Boehmer: Reichssachen 149.

4) Urkundenbuch für Nieder-Sachsen I, III 495.

quandocunque ecclesiae suae emere easque munire posset [1]). Qua concessione usus archiepiscopus castra Gleichenstein, Scharfenstein, Birkenstein a comite de Gleichenstein emit; quae emtio ab omnibus principibus domus Wettinicae rata facta est [2]). Die 4. Martii privilegiis Erfortensium confirmatis [3]), archiepiscopus Herbipolim se contulit ibique concilii nationalis et curiae solemnis particeps factus est. Rebus, quas in Thuringia gesserat, ex ordine expositis pax instituta et omnes poenae, quas a violatoribus pacis sumserat, a rege confirmatae sunt [4]). Huc pertinere videtur, quod rex eodem die in curia solemni urbem Northusam omnibus iuribus et beneficiis privavit [5]). Omnino regem ea ratione, qua archiepiscopus mandata perfecerat contentum fuisse ex eo intelligitur, quod ei statim vices suas per terras Misnenses quoque gerendas, commisit [6]). Quae res omnes gestae sunt die 29. Martii. Paullo post rex universos Iudaeos, regiae camerae servos, in Thuringiae et Misnia habitantes archiepiscopo defendendos et gubernandos commisit [7]).

1) doc. Alberti datum Erfordiae apud Gudenum l. c. p. 819.

2) Albertus et filii confirmant emtionem documento die 25. Febr. 1287 Erfordiae dato apud Gudenum l. c. p. 820. Henricus Misnensis et Fridericus Landsbergensis documento dato Dresdae die 12. Martii 1287 apud Gudenum p. 821. cf. ad hanc rem l. p. 887.

3) doc. apud Lunigium IV, II p. 433.

4) Reg. Rud. 917.

5) Reg. Rud. 915.

6) Reg. Rud. 916. Omnia haec documente die 29. Martii data mutato ordine perscribenda esse puto. Verisimilius est eo quo ordine in textu perscripsi data esse; 917 mutandum in 915, 915 in 916, 916 in 917.

7) doc. Rudolfi datum Moguntiae VII Id. Maias, id est die 9. Maii, quare corrigendum est quod apud Boehmerum legimus Reg. Rud. 928. 15. Mai. Apud Lichnowsky Reg. Rud. 934 b per errorem doc. die 9. Martii datum affertur. In ipso documento, apud Gudenum II 254. pro „Iudeos — in partibus Thuringiae, Marchie et Misnen. constitutos" rectius legendum videtur „Thuringie, Marchie Misnen(sis). Nunquam enim et nusquam terra Orientalis, Ost-Mark, quam Boehmerus Marchia significari putat, Marchia appellatur. In docc. extra fines Thuringiae-Misniae datis fere nunquam terrae Orientalis mentio fit, sed ea semper terra Misnensi continetur.

Rex et principes sic satis intente curaverant, ut pax in Thuringia tandem aliquando firmaretur. Et profecto eo tempore status Thuringiae melior fieri videbatur, cum landgravius et filii inter se concordes pace iurata cum nobilibus coniuncti essent. Sed heu! quam celerrime hanc pacem fallacissimam esse patefactum est!

Cum vix unus annus praeteriisset, post mortem Henrici marchionis Misnensis denuo discordia inter principes Misniae-Thuringiae orta est. Qui marchio, pacificus et iustus, amicus et defensor ecclesiae, non solum hereditatem paternam, quam parvam et angustam acceperat, auxerat, sed etiam auctoritatem sibi maximam in imperio comparaverat. Attamen Henricus erat, qui prae ceteris principibus post excidium Stauforum per tempestates interregni imperii minima ratione habita intentus esset ad possessiones domui suae firmandas. Ex tribus coniugibus tres filius procreaverat Albertum, Theodericum, Fridericum [1]). Hunc filium postumum princeps senescens insigni amore amplexus esse videtur; cum iam anno 1276 castrum Saathein ab episcopo Numburgensi iure feudali ei conferendum exoravisset [2]) anno 1279 a rege Rudolfo impetravit, ut in hunc filium et in omnes ex Elisabetha uxore procreandos liberos iura ingenuitatis conferret [3]). Paullo post Henricus marchio partem terrae, tractus et civitates Dresden et Grossenhain consensu Alberti et Theoderici iuniori Friderico concesserat [4]). Atta-

1) Ann. Veteroc. ap. Menckenium II p, 405, 406, et Tittmannum II, 137, 147.

2) Tittmann. II, 140.

3) Boehmeri Reg. Rud. 472.

4) Ann. Veteroc. ap. Menckenium II p 406 et doc. Friderici

men satis magnae possessiones reliquae erant, quae Henrico primis hebdomadibus anni 1288 post longiorem morbum mortuo, heredibus patebant [1]). Verisimile est ultimo voluntate eius destinatum fuisse quid de hereditate fieret. Et marchia quidem Misnensis Alberto filio et Friderico Landsbergensi nepoti communiter possidenda obtigisse videtur, Theoderico nepoti Lusatia, Fridericis filio et nepoti ea quae tenebant. Albertus landgravius, ubi ei patrem mortuum esse nuntiatum est, in Misniam properavit ibique in coenobio Veteris Cellae, ubi pater sepultus erat, titulum marchionis Misnensis et Orientalis sibi addidit [2]). Quamvis non dubitari possit, quin Albertus et Fridericus Landsbergensis veri et legitimi heredes fuerint, magni tamen momenti est, quod filii quoque, Fridericus saltem, eorum ius hereditarium agnoverant [3]). Vice versa Albertus Friderico filio civitates oppigneratas libere possidendas concessisse videtur. Fratres et patrem primo tempore post mortem Henrici marchionis discordes factos esse nunquam traditur; quamquam Theodericus iam die 21. Februarii sese heredem avi appellaverat [4]). Attamen aliis de causis pax eo tempore violata est.

Iam Theodericus senior marchio Landsbergensis multifarie lites cum episcopo Numburgensi egerat, cum marchio, terminis inter dioecesim Numburgensem et marchiam Lands-

datum Pragae die 6. Febr. 1289 apud Hoffmannum: Scriptores Lus. I[V] p. 179.

1) Chron. S. Petri Erf. p. 295, Tittmann. II ad. a. 1288; Koehler Lausitzichses Magazin 21, p. 69 ss.

2) id quod Tittmannus II p. 286 ex tabulis authenticis demonstrat.

3) cf. doc. Friderici Tute datum Misniae die 10. Sept. 1289. apud Gersdorfium in codice diplomatico Saxoniae regiae III, N. 290; item documentum Friderici, Alberti filii, datum Lipsiae die 24. Sept. 1291 apud Gersdorfium l. c. N. 302.

4) documentum Theoderici datum 21. Febr. 1288 apud Wilkium N. 48.

bergensem non satis definitis, iura quaedam episcopi usurpasset [1]). Cuius exemplum filius secutus iam paullo postquam ad terram administrandam accesserat, iura episcoporum Numburgensis et Merseburgensis violasse videtur. Tunc vero bellum ab archiepiscopo Moguntino cohibitum est. Cum autem Henrico Illustri mortuo marchio denuo iura quaedam episcoporum usurpasset et adeo vectigalia exegisset, bellum primo vere 1288 exortum est [2]). Quo fortius marchioni resisterent, episcopi foedus inierant cum filiis Alberti landgravii, Friderico et Theoderico, qui confines antea quoque benevolentiam episcopis praestiterant [3]).

Cum per aliquot menses bellatum esset [4]), primo inter fratres et episcopum Numbergesem, et Fridericum Tute ex altera parte initio mensis Augusti pax composita est. Marchio magna pecuniae summa data, aut pacem sibi conciliare aut damna foederatis illata resarcire coactus est.! Quam summam de pecunia ad usum terrae sanctae in ecclesia Misnensi reposita mutuatus est. Quo sacrilegio commisso ne excommunicetur, magnis donis et securitate ablata restituendi plena et firma data, satis fecit [5]). Tunc Fridericus titulum marchionis Misnensis, Orientalis et de Landsberg sibi addiderat. Paullo post die 30. Octobr. cum episcopo Merseburgensi quoque intercedente Erico archiepiscopo Magdeburgensi pax composita est [6]). Bello sic composito, ad pacem firmandam initio hiemis, episcopi, principes, nobiles permulti Grimmas convenientes, comites et nobiles quos-

1) quod Tittmannus II, 263 ex tabulis authenticis demonstrat.

2) Chron. S. Petri Erf. p. 295.

3) quod prodit ex documento Numburgensi, cuius argumentum ex tabulis authenticis publici iuris factum est a Tittmanno II ad a. 1287.

4) doc. Theodorici d. die 12. Iulii 1288: Wilkius 53.

5) cf. documentum Friderici Tute Misniae die 17. Aug. 1288 ap. Gersdorfium N. 288.

6) documentum Friderici apud Lünigium: Reichsarchiv pars spec. cont. II p. 179.

dam pacis conservatores creaverunt [1]). Hac pace publica contemta eodem tempore landgravius Albertus a filio Friderico captus et aliquamdiu detentus est [2]). Landgravius, ut captivitate liberaretur, in castro Rochlitz, quod tunc erat sedes Friderici, die 25. Decembris 1288 pactionem iniquam cum filio facere coactus est [3]). Landgravius hac pactione Rochlitziana omnes fere possessiones quas ex hereditate paterna acceperat filio concessit.

Interea Theodericus iunior, ubi pace cum patrueli composita, liberius agere potuit, partem hereditatis avitae, Lusatiam, obtinere non cessaverat. Quam terram Theodericum iure suo affectasse ex eo intelligitur, quod non solum adversus patruum Fridericum ius suum obtinuit, sed etiam postea a rege Rudolfo dominus Lusatiae nuncupatus est. Iam anno 1288 titulo marchionis Lusatiae ornatus [4]) anno insequente in Lusatiam se constulit et in civitate Luccau, quae est aput terrae, incolis eum domi num lubentissime recipientibus terram administravit [5]).

Fridericus Tute bello cum episcopis composito gratiam pacis per terras suas reconciliavit et dominationem suam firmavit. Non solum animos incolarum et nobilium sibi conciliavit, sed etiam cum episcopo et collegio episcopali Misnensi, ecclesiae magnis beneficiis oblatis in gratiam rediit. Deinde Fridericus et Albertus terram partiti sunt et Albertus quod ei ex pactione Rochlitziana reliquum erat, cum data pecunia, tum commutatione possessionum facta, nepoti concessit. Hic Fridericus cum priori anno magnam pecuniae

1) Ann. Veteroc. apud Pertzium XVI p. 44. ad a. 1288. et Menckenium III 890.

2) Ann. Veteroc. a. Pertzium l. c. Chron. S. Petri p. 295.

3) doc. huius pactionis exstat apud Wilkium N. 56.

4) docc. apud Wilkium 54 et 55.

5) quod haud ambigue intelligitur ex documento apud Wilkium N. 58, apud Hoffmannum: Script. Lus. IV. p. 176 datum Luccaviae die 4. Iunii 1289.

summam ex thesauris ecclesiae Misnensis egessisset, ad solvendos patruis suis has magnas pecunias non solum ab incolis et nobilibus terrae, sed etiam a clero et ab episcopo animo promptissimo sublevatus est [1]). Venia ab episcopo data ab omnibus agris dioeceseos Misnensis vectigalibus exactis et de decima curiae Romanae, quae in ecclesia Misnensi reposita erat, necessaria pecunia collecta et patruis satisfactum est [2]). Cum autem marchio his magnis pecuniis solutis vel maximum aes alienum contraxisset et praesertim pecunia ex ecclesia Misnensi desumpta nondum restituta esset, consiliarios et fideles suos ad se vocatos pro solutione debitorum obligavit. Qua ratione aere alieno liberatus ipsis fideiussoribus castrum et oppidum Pirnam cum omnibus iuribus oppigneravit, ut, si quid ipsi humanitus accidisset, castro et oppido venditis, se onere debitorum absolverent [3]). Fridericus hac ratione maximam partem terrae avitae sibi comparavit eamque bona pace et multis beneficiis ecclesiae Misnensi oblatis [4]) administravit.

In Thuringia Albertus landgravius, qui titulum marchionis Misnensis et Orientalis mox reiecerat, brevi tempore post omni controversia et discordia inter ipsum et filios consilio fidelium suorum deposita ab abbatibus Fuldensi et Hersfeldensi impetraverat, ut feuda harum ecclesiarum post mortem Henrici ad se collata, filiis quoque iure feudali conferrent [5]).

Quamvis sic principes concordes essent nihilominus status Thuringiae miserrimus erat: castris et munitionibus per-

1) cf. doc. Friderici die 10. Sept. 1289 ap. Gersdorfium 290.

2) doc. Friderici comitis palatini datum Lipsiae die 24. Sept. 1291 ap. Gersdorfium 302; cf. quoque N. 268.

3) doc. ap. Gersdorfium 302.

4) cf. documenta Friderici apud Gersdorfium, datum die 28. Iulii 1290 Dresdae, in civitate nostra, N. 295, die 25. Ian. 1291, N. 297, 6. Aug. 1291 N. 300.

5) docc. ap. Wilkium 61 et 62.

multis ubique locorum exstructis agri et viae infestabantur. Thuringia unica provincia imperii erat, ubi idem fere status rerum remanebat, qualis per interregnum fuerat. Ubique locorum Rudolfo regi contigerat, ut restitueret auctoritatem coronae regiae, quam Otakarus Bohemus ut rem exiguam et vilem aspernatus erat. Ubique rex pacem firmaverat et praesentia sua meliorem statum rerum reduxerat, Thuringia unica fere provincia erat, quae tam diu beneficio regis praesentis caruerat. Albertus landgravius filiis terrae partes concessit; sed ne vestigium quidem exstat consensum regis requisitum vel impertitum esse. Eadem ratione Fredericus Tute in paternam marchiam successit et Henrico Illustri mortuo consanguinei feuda vacua partiti sunt, velut si praedia libera allodialia fuerint. Pacem tandem aliquando iussu regis ab archiepiscopo Moguntino restitutam vix peracto uno anno iidem principes et episcopi, qui iuraverant, impune violaverant. Impune etiam filium patri capto cessionem possessionum extorquere licuit! Sola regis praesentia, auctoritate, severitate status Thuringiae perturbatus ordinari, incolis excruciatis pax et quies refici poterat. Quod cum rex intellexisset consilium cepit in Thuringiam proficiscendi et circa diem 9. vel 10. Decembris 1289 Gelnhusa in Thuringiam iter fecit, ubi die 14. Dec. Erfordiae comitantibus permultis principibus et nobilibus summa solemnitate a clero et civibus in ecclesia S. Mariae receptus est.

Statim post regis adventum pax publica a rege iussa est et milites, qui cum eo venerant, coniuncti cum civibus Erfortensibus expeditione facta in castro Ilmenau 29 raptores ceperunt. Erfordiam deducti rege ipso die 20. Decembris de iis iudicium faciente, sententia dicta, omnes ante portas urbis decollati sunt. Qua severitate ingens terror illatus est omnibus qui in simili culpa versabantur. Eodem die 20. Dec. advenit Erfordiae Gerhardus Moguntinus archiepiscopus. Omnino his diebus tot episcopi, principes, nobiles advenerant, ut curiae solemnes a rege per festum

nativitatis Christi celebratae frequentissimae essent. Prae ceteris nobis praesentes nominandi sunt episcopi terrarum Misnensium et principes domus Wettinicae, Albertus landgravius cum filiis, et Fridericus Tute; praeter hos autem permulti nobiles Thuringiae-Misniae [1]). Certe rex mox cognovit crebrarum discordiarum maiorem culpam in Albertum conferendum esse, qui rebus male gestis, auctoritate principum elevata et effusis sumtibus dolorem et iustam iram filiorum concitabat. Alberti ingenium mobile et inconstans, animus eius ad libidines et luxuriam propensus [2]), nequaquam animum Rudolfi sibi conciliare poterat, quippe qui contemto splendore, quem regio nomini restituerat, semper qualis antea fuerat, miles simplex et temperatus mansisset. Quae cum ita sint, verisimile est filiis a rege animo prompto veniam datam esse scelerum quae in patrem commiserant et quod ad ipsorum arbitrium feuda avita ad se rapuerant. Imo etiam, quamvis paullo ante rex Lusatiam Wenceslao Bohemiae regi concessisset [3]), iam contigit Theoderico, ut, se suo iure illam terram affectasse, domonstraret et coram frequentissima contione principum et nobilium in coenobio praedicatorum a rege dominus terrae Lusatiae nuncuparetur [4]). Theodericus sic in numerum principum imperii receptus, novam dignitatem praestare non cunctatus est. Exstant documenta eius ex quibus intelligitur Theodericum fidem et obsequia incolarum marchionatus sui, imprimis civium Luccaviensium, remuneratum esse eorumque commodis, privilegiis et beneficiis datis consuluisse [5]). Albertus

1) Accuratissime nobis hac res enarrantur in Chron. S. Petri Erf. apud Menckenium III p. 396.

2) cf. carmen occulti autoris v. 1317 ss.

3) doc. Rudolfi apud Hoffmannum: Lus. IV, 176.

4) doc. a. Riedelium in codice diplomatico Brandenburgensi II, II p. 143.

5) docc. Theoderici data die 10. Febr. 1290 apud Wilkium

quoque patefecit bonam concordiam cum filiis documento quodam coram rege et permultis nobilibus imperii dato [1]). Paullo post regi contigit, ut discordiam, quae inter landgravium et nepotem eius Fridericum Tute orta erat, componeret [2]). Cum sic rex auctoritate sua lites principum bona cum gratia composuisset, toti terrae quoque meliorem statum reducere et firmare inceperat. Pax publica per Thuringiam-Misniam iussa, ad Saxoniam quoque relata et a nobilibus iurata est; ad pacem conservandam ab omnibus incolis, adeo ab ipsis coenobiis stipes et vectigalia exacta sunt [3]). Deinde a militibus regis et civibus Erfurtensibus sexaginta sex circiter castra et munitiones latronum per totam Thuringiam expugnata et destructa sunt [4]).

Quamvis ex his et permultis aliis documentis Erfordiae datis intelligatur, regem et principes administradis rebus publicis magnopere occupatos fuisse, convivia tamen et dies festi quoque magnifice celebrati sunt. In quibus Albertus landgravius post festum Pentecostes Erfordiae in monte S. Petri magna solemnitate sedecim nobiles adolescentes, inter quos fortasse filius Albertus iunior erat, equites creavit. His omnibus rex coram per multis equitibus gladios

N. 65 et 66) quae documenta Erfordiae data esse ex eo intelligitur quod documento Alberti die 9. Febr. dato perspicimus utrumque filium tunc Erfordiae affuisse.

1) doc. Alberti datum Erfordiae die 9. Febr. 1290 ap. Wilkium 64.

2) doc. Friderici et Alberti dat. Erfordiae die 6. Maii ap. Wilkium 68., apud Menckenium II p. 930; Boehmerus Reg. Rud. 1033 confundit Fridericum marchionem Orientalem, Misnensem et Landsbergensem, Theoderici filium, cum Friderico comite palatino Saxoniae, Alberti filio.

3) quod intelligitur ex documento Rudolfi dato Erfordiae die 25. Febr. 1290: Urkundenbuch für Nieder-Sachsen I III 524. cf. Boehmeri Reg. Rud. 1016 et 1018.

4) Chron. S. Petri Erf. p. 296.

equestres accinxit [1]). Cum rex landgravium hac occasione data favore amplecteretur, alias non dubitavit commodo eius adversari. Mortuo enim Erfordiae Ottone iuveni comite de Brena, mater eius, cum heredes non essent, comitatum Rudolfo, Alberti ducis Saxoniae filio, concesserat. Quam translationem rex non modo confirmavit, sed etiam Rudolfum omnibus feudis imperii qui morte comitis vacabant, solemni ritu donavit. Hac ratione comitatus Brena-Wettin, feudum gentile domus Wettinicae, ei ademta est [2]). Omnino suspicionem reiicere non possumus Rudolfum regem, optimo iure quidem, intentum fuisse, ut hos principes, qui salutis imperii nullam fere rationem habuerant, cum imperio et sibi ipsi arctius adiungeret, tum impediret, quominus maiores opes ibi compararent. Quod consilium regis monstrare videtur simul ademta hereditas illa, simul quod non solum omnia, quae filii Alberti landgravii in patrem deliquerant, inulta passus est, sed etiam eos in numerum principum ascivit [3]). Iam tunc Rudolfum studuisse, et ab Alberto, qui semper de pecunia laborabat, iura quaedam vel possessiones imperio acquireret, fortasse colligere possumus ex pactione memoratu digna, quae die 5. Aug. 1290 Isenaci inter Albertum landgravium et Fridericum comitem palatinum convenit [4]). Hac pactione Albertus, consilio fidelium suorum usus, filio se in posterum neque principatum, neque partes terrae venditurum nisi consensu eius accedente pollicitus est. Fideiiussoribus landgravius omnia castra et civitates tradi-

1) Chron. S. Petri Erf. p. 296.

2) Boehmeri Reg. Rud. 1046, 1068; Chron. S. Petri p. 296.

3) regem iam antea hoc consilium habuisse, concludo ex Boehmeri Reg. Rud. 409, 504.

4) Huc pertinere videtur quod nobis enarrant dominicani Colmarienses apud Pertzium XVII et aqud Boehmerum: fontes II 27; documentum pacti Isenacensis exstat apud Wilkium N. 70, apud Menckenium II 927.

dit, ut ea si in pacto non maneret, Friderico et Theoderico filiis traderent. Partem hereditatis, quae Alberto iuniori obtingeret, consilio fratrum constituendam esse pactum est.

Rex undecim fere mensibus peractis Erfordiam relinquendi concilium cepit. Conscientia pacis restitutae non contentus, ubi principum et nobilium animos satis cognovit, Gerlacum de Breuberg, virum de rege et de imperio bene meritum, in Thuringia reliquit, ut pacem conservaret et vice regis fungeretur [1]). Circa diem primum Novembris rex Erfordia [2]) in terram Orientalem profectus Altenburgi aliquamdiu commoratus est et hoc oppidum cum terra Plisnensi imperio redemit. Verisimile est regem cum Theoderico principe de redimenda terra Plisnensi egisse priusquam eum Lusatiae dominum nuncuparet. Profecto autem regem hanc terram 10,000 marcis, quibus oppignerata fuerat, redemisse non probaverim, cum Erfordia cedentem in summa difficultate pecuniaria fuisse constet [3]). Sed ne minorem quidem summam redemtionis rex integram Theoderico persolvere poterat et Albertus dux Saxoniae iussu eius de 800 marcis cavit [4]). Inde rex in Germaniam meridionalem profectus est.

Anno 1290 Albertus iunior quoque, quem vulgari sermone Apitz dicimus, Alberti Landgravii filius, apud scriptores rerum gestarum primo nominatur.

Albertus landgravius eodem anno 1290 circiter tertiam uxorem duxerat, Elisabetham de Arnshaugk, viduam locu-

1) Chron. S. Petri p. 298.

2) Chron. S. Petri p. 298: in vigilia omnium sanctorum rex recendens de Erfordia — id est die 31. Oct.; sed doc. exstat Erfordiae die 1. Nov. d., ap. Boehmerum Reg. Rud. 1082.

3) Kopp: Geschichte der eidgenössischen Bünde I. p. 467.

4) doc. Alberti ducis d. Zittaviae die 29. Nov. 1291 ap. Riedelium in cod. dipl. Brand. I I, 199.

pletissimam Ottonis comitis de Arnshaugk [1]). Qui comes cum nullos heredes nisi filiam, puellam infantem, reliquisset, quae postea Friderico marchioni fratri non germano nupta est [2]), landgravius effertissimam hereditatem quam adeptus erat ad possessiones Alberti iunioris filii augendas convertit [3]).

Morte Rudolfi regis die 15. Iul. 1291 status Thuringiae-Misniae, qui intercessione eius satis firmatus erat non perturbatus est, quamvis Gerlacus de Breuberg Thuringia initio huius anni relicta in Wetteraviam rediisset, ubi iam antea munere advocati regii functus erat [4]).

Contra summi momenti fuit et ingentes rerum conversiones consecutae sunt mortem Friderici marchionis Orientalis, Misnensis, Landsbergensis. Qui iuvenis princeps his paucis annis, quibus marchiis suis praefuit, sese dominum pacificum optimaeque spei praestiterat; neque dubitare possumus quin satis multum valuisset ad patrueles possessionum et honorum cupidos coërcendos; unde Misniae et Thuringiae multa mala non iniuncta essent. Withegoni episcopo Misnensi et nobilibus terrae semper concordia coniunctissimus terram suam multis beneficiis afficere poterat. Semper permultos nobiles in aula eius versatos esse ex documentis intelligitur. Catharina Henrici, Bavariae

1) Comes Otto memoratur Fribergae inter comites Friderici Landsbergensis marchionis die 21. Febr. 1288, deinde cum aliis quibusdam nobilibus Grimmis 1288 conservator pacis creatus est. Cf. Ann. Reinh. p. 279: Eodem anno Fridericus etc. p. 290. Huic comitissae nomen Elisabetha fuisse intelligitur ex documento Alberti die 1. Oct. 1290 dato. Castrum Arnshaugk super oppidum Neustadt ad Orlam situm est.

2) Ann. Reinh. 279 et 290.

3) quod intelligitur ex pactione die 28. Sept. in oppido Triptis facta.

4) Cf. doc. Rudolfi d. 28. Maii 1291 a Boehmerum in codice diplomatico Moenofrancofurtano I. 258 et doc. Gerlaci d. 6. Iulii 1291. l. c.

inferioris ducis filia in matrimonium ducta, Misniae die 16. vel 17. Aug. 1291 [1]) sine heredibus mortuus est; uxor paullo post in Bavariam rediit [2]). Ab hac praematura morte marchionis Friederici profectae sunt omnes illae calamitates, quas Thuringia et Misnia per decennia ab effrenatis exercitibus conducticiis inundatae et oppressae dominatione externorum principum perpessae sunt.

Cum satis constet, marchionem non repentina morte absumtum esse, e contrario antea ultimam voluntatem suam declaravisse, marchias quoque consanguineis distribuisse verisimile est. Quae suspicio rerum decursu confirmari videtur. Praeterea illo tempore rex nondum electus erat. Alberto landgravio marchia Landsbergensis cum civitate et tractu Sangerhusano [3]) obtigisse videtur, Friderico seniori filio marchia et principatus Misniae; terra Orientalis inter Albertum et Theodericum et Fridericum filios aequis portionibus divisa esse videtur. Comes palatinus Saxoniae nulla mora marchia Misnensi potitus est. Albertum quoque statim in terram Orientalem profectum, die 23. Aug. iam cum nobilibus quibusdam Thuringiae in oppido Zwenckau reperimus [4]). Inde cum vix terram occupasset, inopia pecuniae,

1) Ann. Veteroc. apud Pertzium XVI die 16. Aug. mortuum esse tradunt; die 17. Aug. chronicon coenobii S. Clarae Weissenfelsensis lingua vernacula conscriptum (edidit Lepsius: Neue Mittheilungen. Bd. III. II. p. 58). Cf. Ann. Reinh. p. 261. Ann. Colmarienses apud Pertzium XVII. ad annum 1291: „obiit margravius de Missen iuvenis virtuosus".

2) Abhandlung der Bairischen Acad. d. Wissensch. Th. I. p. 211. Cf. Ann. Reinh. p. 311–314 et additamentum III. huius commentationis.

3) Sangerhusam quae civitas ad Thuringiam pertinet, Fridericum possedisse intelligimus ex documento eius anno 1286 dato: Urkundenbuch für Nieder-Sachsen I. III. N. 494.

4) quod intelligitur ex documento eius ibi dato ap. Schoettgen: Diplom. Nachlese II. p. 16.

qua semper laborabat, coactus conditiones agitavit cum Ottone IV. et Conrado I. marchionibus Brandenburgensibus, Iohannis marchionis filiis, iisque marchiam Landsbergensem vendidit, civitatem et tractum Sangerhusam, castrum Eckartsbergam et Castrum Novum (Neuenburg) super Friburgum situm cum [1]) tractu ad ea castra pertinente oppigneravit.

Quamquam marchiones Brandenburgenses usque ad illud tempus marchiae Landsbergensis quidem nullam partem possederant [2]), tamen in illis regionibus possessiones sibi comparaverant. Nam die 11. Febr. 1290 Fridericus comes palatinus Saxoniae Ottoni IV. castrum et tractum Lauchstaedt 1400 marcis argenti Fribergensis oppignera-

1) Huc pertinet quod nobis traditur in Ann. Veteroc. apud Menckenium II. p. 409: „Nam castra Eckersberg cc." Marchiam Landsbergensem, id est „Landisberg, cum civitate Delitzsch", solam venditam, alias possessiones oppigneratas fuisse ex documentis quibusdam intelligitur, de quibus postea verba faciemus.

2) Koppius I. p. 464 vehementer errat, ubi contendit Albertum landgravium anno 1290 partem huius marchiae Ottoni concessisse, quam hic cum fratre Conrado ex hereditate aviae Mathildae postulavisset. Auctore usus est Koppius Gerckenio in fragmentis Marchicis II. p. 37. Quae fragmenta edita sunt Guelferbyti anno 1756. Ipse Gerckenius loco citato nos revocat ad Vogelii Annales Lipsienses ubi hanc rem documento monstrari affirmat. Quod documentum cum non exstet loco citato reperiri non potest. Imo Gerckenius ipse in libro anno 1777 edito: Vermischte Abhandlungen Bd. II, p. 183, hac re accuratissime pertractata nobis demonstrat Gundlingium historicum in vita Waldemari marchionis Brandenburgensis primum haec per errorem neque ullis documentis allatis contendisse. Eadem commentatione Gerckenius demonstrat ante a. 1291 nullam partem marchiae Landsbergensis Brandenburgenses possedisse, eamque filios demum Johannes marchionis sibi paravisse. Cf. quoque Stenzelium: Gesch. des preuss. Staats I. p. 63.

verat [1]). Quod castrum in ditione Brandenburgensium mansit, sive Fridericus non redemit sive marchiones illi non reddiderunt [2]).

De tempore quo venditio marchiae Landsbergensis convenit, nos certiores facit documentum ab Alberto et Ottone IV. Eilenburgi die 14. Nov. 1291 datum ex quo intelligitur negotium aut transactum fuisse aut prope ad transactionem accessisse [3]). Hoc conventu principium Alberti et Ottonis IV. controversiae, quae tam diu inter marchiones Landsbergenses et episcopos Merseburgenses fuerant, compositae sunt. Inde ab hoc tempore Otto IV. cum telo et frater eius Conradus titulum marchionis Brandenburgensis et Landsbergensis gerunt, quem titulum post annum 1294 et Henricus iunior frater sibi indidit, qui paullo post omnes possessiones harum regionum obtinuit [4]). Annis insequentibus Brandenburgensibus obtigit, ut partes quasdam comitatus palatini Saxonici aut emerent aut pignorum loco obtinerent et ea re per decennia plurimum valerent ad res Thuringiae et Misniae gerendas.

Ac primo quidem tempore hae cessiones possessionum optima pace factae sunt; neque enim ne vel levissimo quidem vestigio cognoscimus Theodericum et Fridericum cum marchionibus discordasse. Fridericus comes palatinus Saxoniae post mortem patruelis statim sibi titulo marchionis Misnensis et Orientalis indito nemine repugnante marchiam Misnensem occupaverat, ibique non modo a civitatibus [1]) et nobilibus terrae Misnensis [2]), sed etiam a Withegone episcopo [3]) dominus libentissimo animo receptus est. Quare quod ab uno tantummodo auctore traditur, Fridericum, mortuo Friderico marchione patrueli, a civitatibus, nobilibus, comitibus terrae Misnensis et Orientalis accessitum et dominum receptum esse, vix refutari posse putaverim [4]). Die undecimo post mortem patruelis Fridericus Fribergae coram permultis Misniae nobilibus propter merita gratuita et remuneratione digna dilectorum civium Fribergensium, cives omnes et singulos omni portorio de rebus exportandis et importandis solvendo liberavit [5]).

Eodem die marchio omnia privilegia quae cives unquam a maioribus acceperant confirmavit [6]). Eodem tempore et de oppido et castro Pirna actum est, quae ut per fideiussores venderentur marchio ultima voluntate constituerat [7]). Post mortem principis fideiussores ad mandatum eius ut se onere debitorum liberarent, castrum et oppidum venditabant [8]). Cum autem Pirna feudum ecclesiae Misnensis esset et post mortem Friderici episcopo vacare oporteret, Withego episcopus oppidum et castrum fideiussoribus

1) Documentum apud Riedelium II, I. 193.

2) Cf. docum. ap. Riedelium II, I. p. 247.

3) Documentum horum principum quarta feria post diem Brixii Yleburck datum apud Riedelium: Cod. dipl. II, I. p. 198; apud Wilkium N. 72, qui per errorem Ottonem marchionem, Ottonem Longum ex stirpe Ottonis III. esse contendit.

4) De his possessionibus quaedam explicavit Gerckenius: Verm. Abh. II. p. 188. Has res alio loco accuratius pertractabo, cum hic me spatium deficiat.

1) quod intelligitur ex documento die 27. Aug. 1291 dato de quo cf. not. 5.

2) permulti nobiles in documentis sequentibus testes subscripti sunt.

3) cf. doc. die 24. Sept. 1291 dato, cuius infra mentionem faciam.

4) Ann. Veteroc.: Menck. ll. p. 407. Ann. Reinhardsbr. p. 261.

5) Docum. Friderici marchionis Misnensis et Orientalis Saxoniae comitis palatini datum Fribergae die 27. Aug. 1291 apud Menckenium ll. p. 931.

6) conf. docum. Friderici l. c.

7) conf. Adolfi regis documentum datum Coloniae die 27. Aug 1292 apud Gersdorfium Nro. 306.

8) conf. docum. episcopi Withegonis ap. Gersdorfium 302.

3000 marcarum datis redimere coactus est, ne in manus externorum incideret et ecclesia et terra detrimenta caperet. Quo firmius in posterum hac possessione uteretur obtinuit, ut Fridericus marchio emtionem non modo confirmaret, sed etiam omnibus viribus ecclesiae Misnensi hanc possessionem se defensurum polliceretur [1]).

Quamvis Albertus landgravius, qui filiis iustis de causis succensere poterat, foedere cum marchionibus Brandenburgensibus facto satis firmum praesidium haberet, multis tamen documentis perspicimus eum per annos 1291 et 1292 mira concordia cum filiis vixisse. Non solum consensu eorum in administranda terra usus est, sed etiam utrumque fratrem dominum marchiarum occupatarum agnovit [2]). Fridericum quoque hoc anno 1292 bona pace terram administrasse ex quibusdam documentis intelligimus [3]).

Theodericus marchio tunc in Lusatia versatus esse videtur unde ineunte anno 1293 in terram Misnensem et Orientalem rediit. Die 16. Ian. 1293 coram multis militibus Lusatiae et terrae Orientalis Torgoviae coenobium Muehlberg donavit agris et mola in oppidulo Lusatiae Lieberose [4]). Sed hoc tempore res turbari coeperant, quod filii fortasse et eam partem terrae Orientalis affectabant quam antea patri concesserant. Unde primo multae discordiae concitatae, deinde autem armis certatum est. Albertus, qui minime filiis cedere volebat, simul cum rege Adolfo conditiones agitavit, simul cum marchionibus Brandenburgensibus foedus icit [1]) Theodericus marchio nobilium animos sibi conciliaverat qui ei opem ferebant. Albertus contra, fortasse quod se in fidem et clientelam exterorum principum contulerat, animos nobilium a se abalienaverat et comites potentissimi Thuringiae, Hermannus de Orlamünde, Fridericus de Rabinswalde, Guntherus de Schwarzburg ad causam Theoderici se adiunxerant [2]).

Imo etiam Henricus, advocatus de Plawen, iudex imperii generalis per terram Plisnensem eiusque filius, Henricus advocatus de Weida cum Theoderico marchione coniuncti fuisse videntur. Terram expilando et devastando bellum per ver et aestatem anni 1293 gestum est Theoderico imprimis, qui sub finem hiemis in terram Orientalem properaverat, omni studio in bellum incumbente [3]). Fridericus quoque in proprinquo erat cum permultis militibus et armatis [4]). Postremo autem obtigit utrique principi, ut res in discrimen veniret: Henricus, marchio Brandenburgensis, qui cum haud perva manu terram Orientalem depopulabatur, die 16. Aug. a Friderico et Theoderico ex improviso oppressus et captus est [5]). Tanti momenti ad universi belli

1) conf. doc. Friderici d. Lipsiae die 24. Sept. 1291. cf. quoque doc. Withegonis ap. Gersdorfium 304.

2) quod intelligitur ex docc. eius ap. Lingenn: Kleine Schriften I. p. 143 et ap. Wilkium N. 75.

3) docc. Friderici ap. Schoettgenium: Dipl. et ss. Germ. medii aevi II. in diplomatario coenobii Buch; cf. Lorenz: die Stadt Grimma I. p. 24 Anm.; ap. Wilkium. N. 74.

4) conf. docum. Theoderici apud Wilkium 76.

1) quod intelligitur ex insequentibus documentis. Praeterea huc pertinet quod nobis in Ann. Veteroc. ap. Menck. II. p. 408 traditur: Pater proprium filium diffidavit cc.

2) quod intelligimus ex insequentibus documentis.

3) conf. documentum die 15. Mart. Numburgi datum, ap. Wilkium 77.

4) conf. documentum die 7. Iun. Grimmis datum ap. Gersdorf. 310.

5) Huc pertinet quod in Ann. Veteroc. ap. Mencken. II. 408 narratur: „Tandem una dierum accidit cc.“ Nomen Henrici Brandenburgensis, fratris Ottonis IV., quod hic non affertur, cognoscimus ex documento a Theoderico die 1. Sept. 1293 datum ap. Wilkium Nro. 78: qui cum Schoettgenio hoc nomen Henricum per errorem scriptum esse putat; legendum esse Iohannem. Quos secutus est Boettiger:

eventum haec dimicatio fuit, ut statim utrimque ab armis discessum sit. Theodericus hac victoria deportata laetitia exsultans Lipsiam properavit et deo gratiam redditurus altare in ecclesia St. Thomae dedicavit et reditibus donavit [1]). Qua victoria repente facta est commutatio rerum, qua Theodericus nulla mora ad promovenda sua commoda usus est, quamvis intelligeret fieri non posse, quin ea re discordia inter ipsum et Fridericum fratrem orirentur. Theodericus Lipsia quam primum cum Friderico, comite de Rabinswalde in Thuringiam profectus in gratiam cum patre rediit et cum eo die 28. Sept. in oppido Triptis pactionem memoratu dignam fecit. Cuius argumentum fere hoc est. Ac primum quidem Theodericus Lusatiae marchio patri Alberto, Thuringiae landgravio, Saxoniae comiti palatino, sese pro rebus pretiosis, quas ille Iudaeis Erfurtensibus oppigneraverat, usque ad diem 2. Febr. 1294 mille et octo marcas argenti Fribergensis persoluturum, oppido Creuzburg pignori obligato, pollicitus est. Deinde castro et oppido Gera pignori opposito idem marchio patri usque ad diem 6. Iun. vel 25. Iul. 1294 mille marcas pro castro et dominio Frankenstein sese soluturum promisit. Tertio Theodericus Sangerhusam duobus milibus marcarum, Eckardsbergam et Novum Castrum decem milibus marcarum usque ad diem 11. Nov. 1296 redemturum, oppigneratis

Gesch. v. Sachs. I. p. 242 (2. Aufl.) Quod non probaverim. Cum enim Iohannes II, Iohannis I filius, anno 1281, Iohannes III, Ottonis III filius, a. 1267 mortui sint, nullus Iohannes Brandenburgensis exstat nisi Iohannes IV, Conradi filius, qui tunc vero adulescentulus erat. Non est cur immutemus nomen Henrici, nam verisimillimum est, Henricum Ottonis IV fratrem, dictum sine terra, qui postea marchio Landsbergensis factus est, hoc bellum gessisse.

1) Document. Theoderici die 1. Sept. 1293 dat. ap. Schoettgenium: Diplom. Nachl. I, 60.

Torgovia, Dueben, Saathain et Luccavia, obstrictus est. Contra landgravius sese in posterum Theodericum neque hereditate exclusurum, neque partes principatus venditurum, neque oppigneraturum promisit. Fridericum seniorem filium auctoritate paterna aut armis coniunctis eo ad ducendum ut hoc pactum comprobaret neque turbaret. Item pacem publicam contra quemlibet, qui eam violasset, omnibus viribus conservandam esse. Alberto ante filium mortuo principatum cum omnibus terris, castris, incolis Theoderico hereditate obvenire, non Friderico, exceptis tantummodo iis bonis, quae cum consensu Theoderici iuniori fratri concessa erant. Item Theodericum patri superstitem omnia debita eius persolvere debere; eadem ratione, Theoderico ante patrem mortuo, terram eius patri obvenire. Postremo Albertus filium pacis publicae et comitiorum provincialium participem se facturum et omnibus decretis eorum staturum pollicitus est.

Uterque princeps huius pactionis firmandae et servandae custodem creavit Fridericum comitem de Rabinswalde, auctores creavit Albertus, Helmannum de Hain, militem, Theodericus cancellarium suum Conradum de Amera [1]).

Documento huius pactionis res quae sequuntur maxime illustrantur. Comparanti hanc pactionem cum Rochlitziana et Isenacensi satis perspicuum erit, vel maximam rerum commutationem interea factam esse. Illis pactionibus Fridericus landgravium in potestate sua habebat, penes ipsum erat, conditiones ferre. Tunc landgravius his condi-

1) Docum. Theoderici die 28. Sept. 1293 datum in oppido Triptis publici iuris factum a Fickero ex documentis tabularii Pisae iterum inventis: Sitzungsber. d. Wien. Akad. d. Wissensch. Bd. XIV 184. Accuratius hoc documentum alio loco pertractabo. Conferendum quoque Wegele: Zeitschr. des Vereins thüring. Gesch. und Alterth. Bd. II.

tionibus stare coactus erat simul captivitate simul iactura castrorum et civitatum imminente. Ex altera parte autem Fridericus semper Theoderici fratris rationem habuerat. Ut brevi dicam, landgravius tunc omnes in partes in ditione ac potestate filiorum fuerat. Multo aliter res se habebat hoc tempore! Praeclaram quidem victoriam Theodericus ex sociis patris, hostibus suis, retulerat, magnus etiam numerus nobilium Thuringiae ad partes eius se adiunxerat: attamen non Theodericus conditiones huius pactionis dixerat. Hic ipse in pactis manere maximis pignoribus devinctus erat! Quam ingentem pecuniam ratione illorum temporum diebus perexiguis datis se persoluturum promiserat! Quid contra landgravius pignori opposuit? Nihil in universum! Quod anno 1290 Friderico promiserat, iam Theoderico concessit: possessiones suas se non venditurum sed Theodericum heredem principatus relicturum. Non dubitanter et impune pactionem Isenacensem violaverat; qui tandem Theodericus sperare poterat patrem haec promissa praestiturum quibus ne sponsionem quidem interposuerat?

His rebus omnibus maxime nobis perspicuum fit, landgravium firmum praesidium et auxilium invenisse, quod ut arceret et frangeret Theodericus summa ope nitebatur. Theodericus nefario foedere cum patre contra fratris ius hereditatis facto gravissimas cum Friderico inimicitias susceperat, quae ad res insequentium annorum multum valuerunt.

Per reliquam partem anni 1293 et per primos menses anni 1294 in Thuringia versatus Theodericus titulo iunioris landgravii Thuringiae sibi indito, quo inde semper usus est, quantum maxime potuit auctoritatem et potentiam suam firmabat. Interea primus dies ad solutionem praestitutus praeterierat, alter iamiam accedebat, nec dubitari potest, quin Theodericus tam brevi tempore tantam pecuniam cogere minime potuerit. Quid deinde secutum sit, nusquam memoriae traditum est, verisimile tamen est, Theodericum

castro Frankenstein potitum, pecuniam quae die 6. Iun. et 25. Iul. solvenda erat, nequaquam solvere potuisse; nihilominus autem Creuzburgum et Geram non tradidisse. Pactionem a Theoderico violatam esse, non est, quod in dubio poneremus, cum conditiones eius Alberto prosperiores essent, quam quas hic mutavisset. Pactione autem a Theoderico violata landgravius ad omnem eventum paratus esset necesse erat, quod ille cum magna factione nobilium, quam sibi comparaverat, facile ipsum landgravium de terra administranda depellere potuisset. Sine dubio Albertus non sola difficultate pecuniaria sed etiam aliis causis adductus est, ut consilium caperet quod sibi ipsi et stirpi suae periculosissimum fore ne hominem quidem tam angusti et lenti animi, qualis Albertus fuit, fugere potuit.

Iam respiciamus spatium praeteriti temporis ut cognoscamus qualem se praebuerit rex his rebus in Thuringia et Misnia gestis.

Post mortem Rudolfi, qui frustra studuerat [1]), ut unicus superstes filius Albertus, Austriae dux, succederet imperio, interregnum decem fere mensium fuit, quo tempore nemine obsistente illa conversio rerum in Misnia et in terra Orientali facta est. Quamvis Albertus dux secundum veterem morem certam spem regni habere potuisset, pauci tantummodo principes ei favebant, quod plures et ingenium et potentiam eius timebant. Quo factum est, ut adversarii ducis praepollentes, obtinerent, ut suffragia omnia ad unum Gerhardum de Eppenstein, archiepiscopum Moguntinum conferrentur, qui die quinto Mai 1292 Adolfum, comitem de Nassau regem Romanum creavit. Ad hunc virum creandum principes maxime inducti sunt, eo quod sperabant, Adolfum, quoad ingenium et minimam potentiam eius, non satis valiturum

1) conf. Boehm. Reg. ad diem 20. Mai 1291.
2) conf. Boehm. Reg. ad diem 5. Mai 1292.

ad ipsorum rationes conturbandas. Huc accedebat quod consanguineus Gerhardi erat [1]).

Adolfus de Nassau robore virili florebat, ubi a principibus in regnum accitus est. Attamen ab initio iam dubitari poterat num molem reipublicae administrandae sustinere posset. In rebus angustis educatus, deinde parvae possessionis dominus factus [2]) saepe mercede militaverat et sibi laudem strenui militis comparaverat [3]). Statura mediocri fuit, pro illo tempore satis eruditus [4]), vir probus et fortis existimatus est.

Imbecillitatem suam sentiens inde a primo die imperii sui summa ope nisus est, ut sibi firma praesidia compararet. Quo consilio filiam Wenzeslao regis Ruperto filio desponsavit, pro cuius dote Wenzeslao terram Plisnensem iterum oppigneravit [5]). Qua occasione data fortasse primo animum convertit in res Misnenses [6]).

Episcopi et coenobia Misniae et Thuringiae nulla mora studuerunt, ut regem sibi conciliarent. Withego Misnensis episcopus ubi primum regem coronatum esse audivit, legatis missis emtionem oppidi Pirnae sibi a rege confirmandam

1) cf. Monachum Fürstenfeldensem ap. Boehmerum: fontes I, 17: Ideo autem cc.

2) In bello illo ducis Brabantiae cum comite de Geldern archiepiscopo Coloniensi cum die 5. Ian. 1288 captus esset in proelio ad Worringen a duce interrogatus dixisse fertur: Comes sum Nassoviae rerum dominus non magnarum. Iohannes Victoriensis ap. Boehm. font. rer. Germ. I, 330.

3) Vir probus et manu propria acerrimus pugnator: Monach. Fürstenberg. ap. Boehm. fontes I p. 17.

4) Hic statura fuit mediocri, agilis, amabilis, sciens gallicum latinum et germanicum: Ann. Colm. Boehm. II p. 29.

5) Boehm. Reg. Ad. 2.

6) Internuntius Wenzeslai erat Bernhardus de Camenz, qui illo tempore praepositus, deinde (1293—1296) episcopus Misnensis fuit: Boehm. Reg. Ad. 7.

curavit [1]). Item rex paullo post coenobium Zschillen dioeceseos Misnensis in tutelam suam recepit, civibus Northusensibus privilegia confirmavit [2]).

De principibus Misniae et Thuringiae neque Aquisgrani in solemnibus in regis coronandi honorem institutis, neque in curiis solemnibus Coloniae et Esslingae celebratis ullus interfuisse et feuda imperii redintegrasse videtur. Anno 1274 lege sancitum erat, ut quisque vasallus feuda amitteret, quae intra annum non redintegrasset [3]). Sed ne rex Rudolphus quidem hanc legem semper retinere poterat. Quam longum tempus praeteriit, priusquam rex Otakarus poenas dedisset! Deinde qui Henrico Illustri mortuo partes hereditatis ad se rapuerant, Fridericus Tute et Theodericus duobus annis fere post a Rudolfo Erfordiae feudis donati sunt. Ecquid rex interea hos violatores pacis et contemtores capitis imperii poena afficere molitus erat? Qui tandem Adolfus rex his principibus vim afferre audere potuisset; qui arbitrio electorum turpissime subiectus erat; qui Gerhardo Moguntino archiepiscopo dextra data promittere coactus erat sese eum per totam vitam et in secundis et in adversis rebus sectaturum et contra quemlibet defensurum? [4]).

Sed res Turingiae et Misniae iam commutatae erant, rex Rudolfus auctoritatem imperii ibi restituerat et alia potentissima domus ibi magnam vim habebat! Cum nondum primus annus ex quo Adolfus imperium susceperat praeteriisset Norimbergae praesens mense Aprili 1293 Albertus Thuringiae landgravius, Saxoniae comes palatinus cum rege pactus est. Rex certam, haud magnam, pecuniae summam duobus diebus usque ad diem 24. Jun. et inde a

1) conf. docum. Adolfi die 27. Aug. 1292 datum ap. Gersdorf. II. I. 308.

2) conf. Boehm. Reg. Ad. 79. 86. 105.

3) conf. Boehm. Reg. Rud. 132.

4) cf. Boehm. Reg. Ad. 145.

die 11. Nov. usque ad annum insequentem sese landgravio persoluturum pollicitus est[1]). Quem ad finem rex landgravio hanc summam promiserit omnino non constat. Sane coniici potest Albertum infensum filiis qui fortasse eodem tempore partem terrae Orientalis ad se rapuerant, regi de iure suo quod habebat in terra Misnensi et Orientali cessisse[2]).

Huic conjecturae autem repugnat, quod Theodericus marchio, qui (ex pactione Rochlitziana) magnos reditus ex portoriis in marchia Misnensi faciebat, et maximam partem terrae Orientalis obtinebat, huius rei in pactione Triptis facta ne verbo quidem mentionem facit. Sed e contrario intelligimus hac pactione marchionem ita non sollicitum fuisse de possessionibus in Misnia et in terra Orientali, ut Torgoviam, Düben, Saathain, Geram pignori obliget. Regem jura quaedam in Thuringia sibi comparasse eadem pactione refutatur, nam Theodericus in universum tantummodo jus suum hereditatem adeundi firmat, imprimis contra fratrem. Propius ad veritatem me accedere putaverim, si contenderim, regem sicut multorum aliorum principum comprobationem pretio paraverat et Alberti benevolentiam data pecunia sibi conciliasse, ut eius praesidio fortasse contra Gerhardum archiepiscopum uteretur. Ac primum quidem haec suspicio eo confirmari videtur, quod rex hoc tempore quantum maxime potest studet, ut archiepiscopum Coloniensem beneficiis oblatis sibi obliget[3]). Deinde rex tunc contempsit id quod Gerhardo iureiurando interposito promiserat[4]), sese nobilem virum Ulricum de Hanau nunquam militem nec

1) quod intelligitur ex documento Alberti; summam haud magnam fuisse puto, quod Albertus de prima repraesentatione trecentas marcas Ulrico de Hanau persolvere non potest, sed centum tantummodo.

2) cf. Koppium III. I. p. 87; Boettigerum I. p. 243.

3) cf. Boehm. Reg. Ad. 127, 130. 132. 133.

4) conf. Boehm. 10, 20.

consiliarium recepturum, neque auxilium ei vel benevolentiam praestiturum esse.

Attamen hoc tempore idem Ulricus palam versatus cum rege Norimbergae Alberto landgravio iureiurando fidem suam promittit. Repromittit ei landgravius trecentas marcas argenti Fribergensis, de summa pecuniae solvendas, quam Albertus a rege accipiet; et quidem centum marcas usque ad 24. Jun., ducentas marcas a die 11. Nov. usque ad annum insequentem. Sin rex pecuniam certis pensionibus solvere non posset landgravius Ulrico annuos reditus viginti marcarum assignabit in possessionibus a rege oppigneratis[1]). Tunc Norimbergae in colloquiis regis et landgravii res Misniae et Thuringiae tractatas esse, non est quod dissimulem. Item verisimile est Adolfum, ubi ingenium landgravii cognovit, attentiore animo illas res secutum esse.

Certe iuvenes principes Fridericus et Theodericus feuda quae iam Rudolfo rege obtinuerant, usque ad 24. Jun. 1293 redintegrare debebant. Ius possidendi terras Misnensem et Orientalem, quas per interregnum occupaverant, a rege peterent oportebat. Cum non solum ipsarum marchiarum incolae ad unum fere omnes eos dominos lubentissime recepissent, sed etiam heres legitimus Albertus landgravius iis has terras sponte concessisset de iure eorum vix dubitari potuerat. Rex Adolfus quoque rebus explicatis ius principatus illos possidendi petentes sine ulla dubitatione aut retractatione feudis solemni ritu donavisset. Sed ne levissimo quidem vestigio cognoscimus, Fridericium et Theodericum marchiones regem adiisse. Interea tempus legitimum praeterierat et exstant documenta ex quibus intelligitur regem iam antea ordines imperii adhortatum esse ut iureiurando interposito sibi fidem promitterent[2]). Quare vix dubitari

1) conf. document. Alberti die 23. Apr. 1293 Norimbergae datum apud Wagnerum: Schediasmata de vita Adolfi regis p. 40.; eodem die rex Norimbergae documentum dat: Boehm. 116.

2) ap. Boehm. 46.

potest, quin et principes Misnenses ut redintegrarent feuda legitima, Theodericus Lusatiam, Fridericus comitatam palatinum Saxoniae et quo iure reliquas terras obtinerent, admoniti sint. Ubi tempus legitimum praeteriit secundum morem ad regem aut cui rerum agendarum licentia permissa erat semel atque iterum arcesserentur opportebat. Quare satis longum tempus teri poterat. Adolfo auctoritate et opibus imperii sui nondum firmatis, exiguae tantum domus suae opes suppetebant et ad auctoritatem suam augendam in omnibus partibus bona imperii oppignerare coactus fuerat, ita ut benevolentia principum quacunque ratione expetenda et conservanda ei esset. Quare iure nostro coniicere possumus regem cunctanter et provide utrique marchioni obstitisse; imo etiam putaverim vim omnino non adhibitam esse nisi rebus quibusdam accedentibus verisimile factum sit, rem prospere cessuram esse.

Huc usque vidimus Albertum landgravium fere semper aere alieno et difficultate pecuniaria oppressum et postremo inopia crescente partes terrae vendere coactum fuisse. Fridericus Tute marchio Misnensis ei magnam pecuniam solverat, multo maiorem Otto et Conradus marchiones Brandenburgenses; quae pecunia ita non ad necessitates rei familiaris suffecit ut etiam vasa aurea et argentea Iudaeis Erfortensibus oppignerare cogeretur. Sic landgravius nova inopia oppressus pecuniae sibi a filio Theoderico pactione illa Tripti facta parandae operam dederat. Cum autem filius nequaquam promissis satisfaceret, neque castra traderet, discordiae gravissimae inter principes ortae sunt. Quibus rebus landgravius qui ubique locorum eorum etiam amorem et benevolentiam inconstantia sua perdiderat quibus semper faverat, in summas angustias adductus est [1]).

1) Inter Theodericum et landgravium anno 1294 discordias ortas esse et adeo Erfortenses in quos Albertus permulta beneficia contulerat, a partibus Theoderici stetisse, intelligitur ex documento

Qua turba ut se evolveret landgravius ad temeraria consilia abreptus est. Merito atque optimo iure quidem filios Fridericum et Theodericum odisse potuisset, qui inconstantia et inertia eius in rem suam conversa unam atque alteram possesionem patri extorserant, ita ut postremo auctoritas et potentia eius maxime imminuta esset. Alberto iuniori filio principatum hereditate relinquere landgravio fortasse non fuit in animo, cum satis intellexisset fratres natu maiores quam maxime obstituros esse. Landgravius postquam Norimbergae cum rege egit et animum et consilia eius cognovit, hac calamitate oppressus ad regem confugit. Quem quidem libentissime voluntati eius satisfecisse credibile est. Unde brevi tempore de pactione convenerunt, qua landgravius, promissis a rege duodecim millibus marcarum argenti, quae proximis diebus solvendae essent, Adolfo non modo de omni iure cessit, quo hereditatem patris Henrici marchionis affectare poterat, sed etiam landgraviatum Thuringiae post mortem suam ad imperium rediturum stipulatus est [1]).

Quo foedere a landgravio cum rege inito conditio rerum maxime immutata est.

Marchiae Misnensis et Orientalis sine dubio vacuae imperii possessiones et marchiones qui ius terras possidendi non requisiverant, illegitimi detentores bonorum imperii existimandi erant. Itaque rex, qui ex titulo suo imperium defendere et augere debebat, si non respicimus ad propria consilia eius, non solum iure sed etiam officio suo impulsus est, ut utrumque fratrem proscriberet, iura et decus im-

Alberti die 17. Sept. 1295 dato, cuius argumentum publici iuris factum est ap. Michelsen: Die Landgrafschaft Thüringen p. 8.

1) Testimonia huius rei permulta exstant: Chron. S. Petri Erf. ap. Menckenium III. p. 303 et ad annum 1306; Ann. Reinh. p. 270; Ann. Veteroc. ap Menck. II. p. 408: Albertus — in felle furoris — vendidit —; cf. quoque doc. apud Koppium III, II. p. 411.

perii sustineret et restitueret. Huc accedebat, quod fratres semel atque iterum pacem publicam gravissime violaverant. Nam in tabulis pacis publicae a Rudolfo et Adolfo regibus restitutae constitutum erat, ut quisque filius, qui patri vim fecisset et libertatem eius imminuisset iure hereditatem adeundi in aeternum privandus esset [1]). Quamvis rex optimo iure Fridericum et Theodericum marchiones proscribere potuisset, summo tamen iure cum iis agere certe cunctatus esset, nisi praeter alias res antea cum landgravio pactus fuisset. Ius enim quod ille habebat hereditatem paternam adeundi mortuo Friderico Tute sine dubio permanebat: landgravius a filiis per vim impeditus erat, quominus suo iure uteretur; qui filii etiam, quae ipse occupaverat, ei extorserant. Optimo iure possessiones illas iterum sibi vindicare poterat, nam die 23. Aug. 1283 coram permultis principibus et nobilibus imperii a rege Rudolfo sententia dicta erat, neque principem, neque alium quem promissis obstrictum esse, quae vi aut timore coactus fecisset [2]). Quare rex, ubi illas terras pro imperio vindicavit, antea cum landgravio pacisceretur et ei ius, de quo cedebat, compensaret necesse erat. Quod attinet ad Thuringiam et ius hereditatem huius terrae adeundi ex legibus pacis publicae filii perdiderant. Adde quod verisimile est principes postea proscriptos esse, licet nulla documenta de hac quidem re exstent. Quibus de causis vix dubitari potuisset, quin haec terra post mortem Alberti ad imperium redire deberet. Attamen cum antea iura quaedam Alberti iunioris tollenda aut redimenda erant tum more priorum temporum poenae cum proscriptione coniunctae non semper persolvebantur. Licet quisque imperio fidelis legibus obstrictus esset ubicunque et quandocunque omnibus viribus perficiendae proscriptioni operam dare, in universum tamen haec severitas

1) conf. Monum. Germ. leg. II. p. 448. 459.
2) Monum. Germ. leg. II. 444.

raro adhibita est, nec difficile erat, proscriptione liberari; quae nonnunquam etiam oblivioni data [1]) est.

Quae cum ita sint haud incredibile est, Adolfum cum landgravio de redeundo landgraviatu Thuringiae ad imperium post mortem eius vel maxime egisse eiusque consensum et adiumentum pecuniae summa remuneratum esse. Quod attinet ad summam pecuniae quam rex landgravio promisit et fortasse integram persolvit, ea nimis exigua esset, si quis affirmaret totam Thuringiam et Misniam ea pecunia emtam esse. Cum autem demonstraverim, quid rex ea comparaverit, ne haec quidem res offendere potest. Praeterea sine dubio satis magni momenti fuit, quod Adolfus dubitare non poterat, quin ius imperii nulla ratione, nisi per vim et arma exsequendum foret.

Qua ratione et quo tempore principes convenerunt non satis constat; sed ante initium aestatis 1294 pacta illa vix facta esse potuerunt. Quo tempore multae causae convenerunt, quibus rex magis magisque impulsus est, ut iam haud cunctanter animo certo ad res Thuringiae-Misniae accederet. Ac primum quidem rex cum de illa pactione ageretur, comperiret necesse erat, fratres Fridericum et Theodericum inter se discordes esse, ex quo Theodericus perfidiose in gratiam cum patre rediens foedus cum eo contra Fridericum fratrem inierat. Quare rex optimo iure sperare poterat sese fratres discordes facilius superaturum. Albertum regi adiumentum allaturum consentaneum erat, marchionum Brandenburgensium, qui magnas partes Thuringiae et totam marchiam Landsbergensem possidebant, vehementer interesset necesse erat, quid rex de his terris faceret. Quare et regis multum intererat ut horum principum benevolentiam et adiumentum sibi compararet. Cui studio profuit reconciliatio quae paulo ante post discordias quasdam intercedente Siegfrido archiepiscopo Coloniensi facta

1) cf. Boeh. Reg. Rud. 53, 387. 358. 382.

est inter regem ex una et Albertum Saxoniae ducem et Ottonem Brandenburgensem marchionem ex altera parte [1]). Marchia Landsbergensis interregni tempore a marchionibus emta in manibus eorum maneret necesse erat, si iis a rege iure feudali concessa erat. Quod quidem satis constare videtur. Illae possessiones autem, quas pignorum loco b-tinebant, redemtione ad Thuringiam et cum ea ad imperium redirent, necesse erat.

Quae cum ita sint, vix dubitare possumus, quin illud tempus regi ius imperii persequendo opportunissimum fuerit. Data enim erat optata occasio auctoritatem suam firmandi et simul angustas res domesticas augendi. Quod quidem regem affectasse ex iis quae postea facta sunt, intelligemus. Necessarium erat animo Adolfi obversari exemplum Rudolfi regis, qui iisdem fere de causis quibus ipse, in imperium accitus erat. Rudolfo contigit, ut regiam auctoritatem restitueret et audaciam potentissimi adversarii frangeret: in naufragiis opum Otakari Rudolfus fundamenta claritatis generis sui iecerat. Quid? Poteratne Adolfus eadem sperare?

In marchia Misnensi interea mortuus erat die 6. Martii 1293 Withego episcopus Misnensis [2]). Mox Adolfus studuit, ut collegium episcopale beneficiis quibusdam sibi conciliaret [3]). Bernhardus de Camenz, qui antea praepositus ecclesiae Misnensis, Wenzeslai internuntius cum Adolfo rege pactus erat, fortasse episcopus creatus est opibus Adolfi et Wenzeslai. Adolfus mandavit ei, quod alioquin marchionis fuisset, ut Chemnitii controversiam inter cives et coenobium componeret [4]).

1) conf. Boehm. Reg. Ad. 190.

2) Gersdorf. cod. dipl. Saxon. II. I. Chr. S. Petri Erf. ap. Mencken. III. 301.

3) Conf. docum. Adolfi dat. Friedbergae die 2. Aug. 1293 ap. Gersdorf. II. I. 312.

4) Boehm. Reg. Ad. 166. 195.

Ubi frustra temptatum est causam Misnensem bona cum gratia componere res iam ad arma pervenit. Rex per aestatem bellum parabat. Nihilominus Fridericum marchionem mense Augusto ad se Norimbergam ultimo vocasse videtur. Marchionem ibi praesto fuisse haud incredibile est [1]). Cum autem Adolfus a Friderico postulare deberet, ut omnia feuda, quae per vim detinebat restitueret et se in fidem potestatemque regis dederet nihil perficere poterat; nam sine dubio Fridericus se eo defendebat, quod ab incolis marchiae Misnensis arcessitus et dominus receptus esset. Quod attinet ad Thuringiam, Theodericus iure hereditario stabat neque de iure quod pactione illa Tripti facta sibi paraverat cedere ei in animo erat [2]).

Interea copiae in tractu Rhenano et in Germania meridionali instruebantur, imprimis in terris domus Nassoviae et comitum finitimorum, ubi avunculus regis Eberhardus comes Cattimelibocensis, Gottfridus de Merenberg, advocatus regis in Alsatia [3]), et nobilis dominus Gerlacus de Breuberg rebus gerendis operam dedisse videntur. Angustis rebus domesticis regis milites ex maxima parte mercede conducti sunt, quo factum est, ut multitudo hominum promiscuorum ex omnibus partibus Germaniae spe praedandi allectata exercitui immisceretur. Sed satis multi principes, comites,

1) Exstat (apud Gersdorfium II. I. No. 315) docum. Friderici die 25. Aug. 1294 Egrae dat., quo temporo Adolfus Norimbergae erat. Erant cum Friderico permulti et potentissimi nobiles Misnenses. Quibus de causis marchio cum tot comitibus Egram pervenerit, quidque ibi fecerit explicari non potest, nisi probamus eum recta via Norimberga redeuntem ibi commoratum esse. Praeterea fortasse huc referri potest quod nobis traditur ab Ottocaro (de Horneck), Oesterr. Reimchron., Pez: ss. r. Austr. III p. 593.

2) Reclamantibus tamen eiusdem cc. Chron. S. Petr. Erf. p. 303.

3) Reg. Ad. 211.

nobiles imperii ex officio suo ad auxilium ferendum prompti erant. In quibus nominandi sunt: Eberhardus comes de Marka et Altena [1]), Eberhardus comes de Wirtemberg, Gerhardus de Dietz, Henricus de Nassau, regis patruelis, Iohannes de Sayn, Eberhardus de Spizzenberg, nobiles Ulricus de Hanau, Henricus de Isenburg. Etiam nonnulli episcopi regem comitati sunt in bellum, in quibus Arnoldus Bambergensis, Henricus Constantiensis, Henricus Brixenensis. Huc accessit postea Ericus archiepiscopus Magdeburgensis cum suffraganeis suis, Brunone Numburgensi et Henrico Merseburgensi. Scimus quoque Gerhardum Moguntinum archiepiscopum per auctumnum huius anni in Thuringia commoratum esse, et auctor quidam nobis enarrat, Gerhardum ducentos armatos regi auxilio misisse [2]). Boëmundum Trevirensem archiepiscopum auxilia, quae regi paullo ante ad expeditionem in Italiam faciendam promiserat [3]) in Thuringiam misisse non incredibile est; ipsum autem sicut episcopos Wormatiensem, Argentoratensem, Herbipolensem cum rege in Thuringiam iter fecisse ab uno Ottocaro (de Horneck) traditur, cui de his rebus fere nulla fides habenda est [4]). Neque quantae fuerint copiae, neque ad quem locum convenire iussae sint, nobis traditur. Rex Adolfus sub finem mensis Augusti et nonnullos dies Septembris Norimbergae versatus, ubi die 1. Sept. nuptias filiae suae et Rudolfi, comitis Palatini et ducis Bavariae superioris, fecit [5]), ad exercitum se contulit.

Die 22. Septembris circiter rex cum exercitu Thuringiam intravit [6]) et castra metatus est apud villam Eisch-

1) conf. chron. Levoldi de Northof ad annum 1293 ap. Meibomium.

2) u. 4) Reimchronik l. c. p. 593; quae nobis hic auctor de rebus ad Thuringiam pertinentibus tradit, nonnisi summa cautione adhibita in historiam convertenda sunt.

3) Boehmeri Reg. Ad. 205.

5) Boehmeri Reg. Ad. ad diem 1. Sept. 1294.

6) Chron. S. Petri Erf. p. 303, praeter hoc auctores rerum in

leben, haud procul ad Erfordia. Primo quidem tempore hostilia non facta esse videntur, cum rex exspectaret fore, ut nobiles, qui plurimi ex partibus Theoderici stabant, imperio suo se subiicerent. Sed sola praesentia regii exercitus terra maxime vexata est. Milites enim, sibi in ipsa terra victum parare coacti, catervatim per terram pervagati sunt. Pax ubique turbata, rapinae et incendia late saevierunt. Catervae frumentatum missae greges abigebant, frumenta et villas deurebant, omnia diripiebant; neque aetas, neque sexus coërcuit immanem superbiam et crudelitatem effrenatae multitudinis; mox sacra profanaque polluebantur et in ecclesiis et in coenobiis monialium impune scelera nefanda committebantur [1]).

Diebus fere 14 peractis rex itinere unius diei castra movit ad villam Mittelhusam. Non sine causa rex hoc loco diutius commoratus est; Mittelhusae enim, qui locus in media fere Thuringia situs est, ab antiquissimis temporibus a landgraviis comitia provincialia, quae dicebantur Lanting [2]), habebantur, ubi certis diebus coram populo landgravius aut qui eius vices tuebatur, ius dicere et res gravissimas decernere solebat. Haud incredibile, est, regem ubi in Thurin-

Misnia et Thuringia gestarum exstant: Siffridus Presbyter in compendio historiarum apud Pistorium I; Ann. Veterocellenses apud Menckenium II; Annales Reinhardsbrunnenses. Quae nobis traduntur de his rebus a monacho Fürstenfeldensi, ap. Boehmerum: fontes I p. 17 ad a. 1294 in historiae usum converti non possunt; hac narratione nobis nihil demonstratur nisi qua ratione illae res e longinquo iudicatae sint.

1) Dubitari non potest, quin quae monachus Erfortensis de his rebus tradit, in singulis rebus modum excedant; in universam tamen fides ei habenda est, quod etiam Siffridus Presbyter apud Pistorium I p. 1047 cum eo consentit; praeterea scelera quae hic a militibus regis commissa traduntur, postea ei crimini dantur a principibus; cf. Ottocar. (de Horneck) p. 616–21.

2) Horum comitiorum mentio fit in pactione inter Theodericum et Albertum die 28. Sept. 1293 facta.

giam ingressus est cantionem nobilium et populi, in diem S. Michaelis fortasse, Mittelhusam convocasse, ut cunctos nova rerum conditione explicata, religione sacramenti obstringeret. Iam antea nonnulli nobiles, qui a partibus Alberti stabant, Adolfo se adiunxerant, in quibus Theodericus, comes de Hohenstein [1]). In castris apud Mittelhusam praesentibus praeter alios principes, Gerhardo archiepiscopo Moguntino et Alberto Thuringiae landgravio, res magni momenti tractatae sunt. Ac primum quidem controversiae illae inter archiepiscopos Moguntinos et duces Brunsvicenses, quae inde ab anno 1287 nondum transactae erant [2]), ea ratione diremtae sunt, ut duces Albertus et Henricus mirabilis, coniux Agnetis, Alberti landgravii filiae, proscriberentur, ubicunque et quandocunque archiepiscopus postularet [3]).

Deinde rex landgravio cavit de pecunia quae de summa promissa residua erat. Quem ad finem praecepit rex die 4. Oct. consulibus et civibus Northusensibus, ut Alberto landgravio iureiurando interposito promitterent, sese landgravio parituros, si rex ei usque ad diem 11. Nov. 1296 de 2000 marcarum non satisfecisset [4]). Eodem die Albertus documento declaravit cives Northusenses iusiurandum dedisse; contra iis pollicitus est, urbe post mortuum suam, etiamsi pecunia certa die non persoluta sit, ad imperium redituram esse [5]). Simili modo rex eodem fere tempore

1) nomen eius affert Siffridus Presbyter ap. Pist. I p. 1047.

2) cf. doc. Heinrici archiep. dat. die 12. Febr. 1287 apud Gudenum in cod. dipl. I, 822; deinde Boehmeri Reg. Rud. 918, 926.

3) Boehmeri Reg. Ad. 220.

4) doc. Adolfi datum in castris Mittelhusae die 4. Oct. 1294 apud Hellerum: Thüringische Merkwürdigkeiten 7. Sammlung, 6. Hauptstück.

5) doc. Alberti die IV. Non.,Oct., die quarto Oct., datum in castris apud Mittelhusam, apud Lesserum: Historische Nachrichten von Nordhausen p. 455. Idem documentum exstat apud Hellerum l. c.

landgravio civitatem Mulhusam tradidit [1]). Hac ratione rex ipsis imperii possessionibus oppigneratis persolvit pecuniam, qua imperio possessiones et iura comparaverat. Gerhardus archiepiscopus in Thuringiam venerat, magis quo possessiones et iura ecclesiae suae contra Adolfum et eius exercitum defenderet, quam quo auxilium ferret regi [2]).

Archiepiscopus ex castris apud Mittelhusam sine mora Erfordiam se contulit, unde post aliquot hebdomades Heiligenstadt profectus est, quod est caput eius regionis, quae illo tempore fere tota ad ecclesiam Moguntinam pertinebat, quam nos dicimus Eichsfeld. Initio mensis Novembris rediit Moguntiam. Interea milites ex castris apud Mittelhusam eadem ratione qua antea, effrenata licentia latissime per terram pervagabantur, cum rex eos laxiore imperio haberet, interdum etiam eos vix coërcere posset. Villis et praediis ubique incendio deletis, Thuringi summis conflictati malis adacerrimam defensionem compulsi sunt. Amici Theoderici landgravii [3]), qui castra ubique obtinebant, non satis virium habebant, quibus exercitui regis obviam ire acieque decernere

ubi autem ex tabulis perditis per errorem scriptum est Non. Oct. pro IV Non. Oct.; locus quo documentum datum sit, nominatur Pavre; quem locum nusquam inveni.

1) cf. doc. Ulrici landgravii Alsatiae, datum 25. Iuli 1307 apud Koppium III, II p. 415.

2) quod attinet ad intercessionem, quae dicitur a Gerhardo in „emptionem“ Thuringiae facta esse, relego ad A. Heusserum: Von den Erz- und Erb-Land-Hof-Aemtern des Erzstifts Mainz p. 105; ubi explicatur documentum refutationis publici iuris factum esse in: Abgedrungene in iure et facto wohlgegründete Refutations-, Contradictions-, Salvations- und Remonstrations-Schrift des Erzstifts Mainz: Urkundenbuch No. 9, p. 12, 13, Mainz 1647.

3) Hunc titulum non modo ipse inde ab anno 1293 sibi indit in documentis, sed etiam in Ann. Reinh. p. 271, 274 et in documento Guntheri de Kaefernburg, de quo infra verba faciemus, landgravius appellatur.

potuissent. Quare in castris sese continentes hostium exercitui numero multo maiori resistere poterant. Iam vero Thuringi, rabie et crudelitate militum ad desperationem adducti, ubilibet se adiunxerunt castellanis et in quibusdam partibus Thuringiae, imprimis in silvis et saltibus, quos dicimus Finne et Schmücke, coortum est genus belli, quod cum parva manu nec iusta acie geritur (quod dicimus Guerillakrieg). Hostes catervatim pervagantes a castellanis et rusticis locorum peritis ex firmis receptaculis ex improviso invadebantur, caedebantur aut captivi abducebantur[1]). Eadem saevitia, quam hucusque milites in Thuringos adhibuerant, exasperati incolae in eos consuluerunt, qui in manus eorum inciderant. Nonnulli equites Rhenani, qui quodam die in saltibus haud procul a castro Rastenberg ex improviso capti erant, turpissime mutilati in castra regis remissi sunt. Multo post haec res in cantilenis ludicris a populo Thuringico celebrata est[2]).

His subitis incursionibus regius exercitus in dies maiorem iacturam militum fecit, quam rex mox sentiret necesse erat[3]). Quare, aliquamdiu apud Mittelhusam commoratus, copiis collectis ad villam Wippach castra movit. Ubi cum quidam non ignobilium exercitus effractis foribus in ecclesiam S. Andreae irrupisset et omnia, quae ibi deposita erant, cum ipsis sacris vasibus diriperet, rex intercedere coactus est, ut crimen sacrilegii simulque omnia scelera a copiis suis commissa a se amoliretur. Itaque sacrilegis illis ex ecclesia protractis omnibus dexteras praecidi iussit. Deinde castris retrorsum motis ad urbem imperialem Mulhu-

1) Chron. S. Petri Erf. ex emendato contextu, qui exstat apud Wegele: Ann. Reinh. p. 271.

2) quae cantilenae exstant ap. Rothe: Düringische Chronik, ed. de Liliencron p. 477.

3) Chron. S. Petri p. 305.

sam pervenit[1]). Qua in urbe impudentibus postulationibus regis, fortasse etiam effrenata licentia militum, qui expensas civium restituere recusabant, ingens tumultus oritur. Cives statim ad arma concurrunt, invadunt milites, caedunt multos, totum exercitum in tantas angustias compellunt, ut ipse rex vix vivus evasisse feratur. Quod dedecus statim abolendi, cum regem et tempus et vires deficerent, ad terram Orientalem profectus est. In Thuringia quidem consilia eius in praesenti ad irritum ceciderant. Tota terra devastata, incolae ad desperationem adducti: una civitas ausa erat regi eiusque exercitui ferociter repugnare! Iam vero hieme appropinquante eam provinciam, quam imperio per vim et arma recuperare in animo volutabat, nondum viderat!

Rex Thuringia relicta aliquamdiu apud Zicam ad

1) Boehmero auctore, Reg. Ad. 222, rex die 7. Oct. „in castris Muelhusen“ fuisset. Cui quidem primum repugnat testimonium chronici S. Petri Erfortensis, ex quo intelligitur regem in ipsa civitate, non in castris fuisse. Deinde autem, quoad tempus rex die 7. Oct. vix Mulhusae fuisse potest: ingressus est in Thuringiam die 22. Sept. — „vel circa“ —, „XIV prope dies“ castra apud Eischleben habita; adventus Mittelhusae die 30. Sept. castra ibi „diebus non paucis, habita; discessu ad villam Wippach et itinere converso ad Mulhusam quatuor dies conficerentur necesse erat; ita ut rex etiamsi ipso die 4. Oct. Mitelhusa profectus esset, die 7. Oct. vix Mulhusae adesse potuisset. Praeterea si die 4. Oct. profectus esset, vix tres dies confecti essent, neque auctor noster „diebus non paucis“ regem ibi consedisse affirmare posset. Postremo etiam repugnat quod nobiles illi Rhenani ex castris apud Mitelhusam, per tres tantum dies habitis, usque ad Rastenberg vagati erant, quod castrum octo circiter horarum spatio distat a Mitelhusa. Quibus expositis demonstrasse me puto regem die 7. Oct. „in castris Muelhusen“ documentum dare non potuisse. Quare affirmo per errorem in tabulis authenticis scriptum aut ex iis publici iuris factum „in castris Muelhusen“

pro „in castris Mitelhusen“.

Elistram in castris fuit [1]). Etiam hic in dioecesi Numburgensi, cuius episcopus Bruno de Querfurt regi fidelis erat, a militibus protervis quidque genus scelerum patratum est [2]).

A Zica deinde exercitus, relicta dioecesi Numburgensi, in terram Orientalem progressus est [3]), ubi menses Novembris et Decembris in castris et civitatibus expugnandis consumti sunt. Imprimis rex diu circa muros castri et oppidi Bornae, ubi dapiferi de Borna, Theoderico semper fideles sedem habebant, haerere coactus est [4]). Interea ex castris ante Bornam copiis missis castra vicina expugnata et pleraque diruta sunt. In quibus fuit Groitsch, castrum firmissimum, sedes pristina Wiprechtorum, quod illo tempore in manibus Theoderici erat, qui interdum sibi titulum domini de Groitsch indidit [5]). Item expugnatae sunt civitates Pegau et Frohburg. Borna castris ponendis locus opportunissimus fuit; ac primum quidem quod ibi, in tractu nimirum frugifero et locupletissimo, magnus exercitus facillime ali poterat, deinde autem, quod ex illo loco in media fere terra Orientali sito, terra facillime subiici poterat. Iamiam non modo Lipsienses per legatos, sed etiam multae aliae civitates et nobiles terrae regi se subiecerunt et obsequium iurarunt [6]). Deinde rex, cum iam antea ad curiam sollemnem

1) doc. dedit ibi die 21. Oct., apud Wagnerum: Schediasmata de vita Adolfi regis p. 94.

2) cf. Bertuchii Chron. Portense I. p. 228 et Lepsium: Geschichte des Bisthums Naumburg.

3) Ann. Colmarienses ap. Pertzium XVII ad annum 1294.

4) doc. dat rex in castris „ante Burnis" die 29. Nov. et die 14. Dec.; nomina dapiferorum de Borna in documentis Theoderici. ante et post annum 1294 datis saepissime nobis occurrunt.

5) cf. doc. Theoderici apud Wilkium 57. Annn. Veteroc. apud Menckenium II.; Chron. parvum Dresdense apud Menckenium III p. 347.

6) Annales Veteroc. ap. Menckeniam II.

per festum nativitatis Christi Lipsiae celebrandam omnes principes, comites, nobiles, civitates Thuringiae, Misniae, Saxoniae invitasset [1]), Lipsiam se contulit, permultosque principes ad se concivit. In quibus nominandi sunt Ericus, archiepiscopus Magdeburgensis, frater marchionum Brandenburgensium, Arnoldus Bambergensis, Henricus Brixenensis, Bruno Numburgensis, Henricus Merseburgensis episcopi; principes aderant Otto IV. cum telo [2]) marchio Brandenburgensis et Landsbergensis, Iohannis I. filius, Otto Longus, Ottonis III. filius; comites Eberhardus de Wirtemberg, Eberhardus Cattimelibocensis, Gerhardus de Dietz; nobiles Henricus de Isenburg, Gotfriedus de Merenberg; de nobilibus terrae Orientalis et Misnensis invitatione et iussu regis aderant, Henrici senior et iunior, advocati de Plauen, Meinherus de Misnia, Albertus de Leissnig burggravii, quos a causa Friderici marchionis iam tunc recessisse apparet. Coram his omnibus rex coenobio S. Thomae Lipsiensi die 20. Dec. 1294 omnia privilegia confirmavit, quae unquam coenobio a fundatore, Theoderico Afflicto, marchione Misnensi et Orientali, data et ab Ottone IV. et Friderico II. imperatoribus confirmata erant [3]).

Cum sic rex totam terram Orientalem brevi tempore imperio suo subiecisset, et fratres inter se discordes parum fortiter restitissent, praesidiis relictis quam primum terra Orientali discessit, cum iam aliae res praesentiam eius in Germania occidentali postularent. Die primo anni 1295 iam Northusae aderat, quo eum secuti sunt Ericus archiepiscopus, Arnoldus, Henrici Brixenensis et Merseburgensis, episcopi; principes Otto IV. et Otto Longus et comites nonnulli. Aderant quoque Albertus et Henricus duces Brunsvicenses.

1) cf. Boehmeri Reg. Ad. 235 et ad diem 25. Dec. 1294.

2) qui iam die 9. Dec. in castris ante Bornam doc. dedit, apud Riedelium: cod. dipl. Brand. II, I 207.

3) doc. Adolfi apud Wilkium N. 87.

Northusae ubi rex aliquot dies versatus est, pactio satis magni momenti cum Ottone IV. facta est. Rex marchioni promisit de 6000 marcarum argenti, quas ei deberet, 3000 filiae avunculi, comitis Cattimelibocensis, 3000 ipsi marchioni ad redimenda castra Neuenburg et Eckardsbergam [1]) sese persoluturum. Adolfum hac ratione studuisse ut prohiberet, ne hae possessiones Brandenburgensibus oppigneratae, imperio subducerentur in aperto est. Inde rex Mulhusam profectus cum principibus, quibus Albertus landgravius et Otto comes de Anhalt accesserant, Ottoni IV. et Conrado marchionibus Brandenburgensibus et Landsbergensibus litteras feudales, quas olim Fridericus II. Iohanni marchioni, patri eorum, dederat, confirmavit [2]). Eidem Ottoni, qui tunc regi ad omnia praesto aderat, mandavit, ut cum civibus Lubecensibus ageret, qui iram regis conciverant, quod quamvis invitati essent, curiam sollemnem non frequentaverant [3]). Postquam coenobiis dioeceseos Moguntinae, Walkenried et Volkolderode omnia privilegia a decessoribus suis data confirmavit [4]), Isenacum iter fecit. Ubi cum rex Erfortensibus omnia privilegia et eas donationes, quibus Albertus landgravius ecclesiam S. Mariae Isenacensem collegiatam reddiderat, confirmasset, celerrime ex Thuringia discessit et in terras Germaniae superiores properavit. Non solum discordiae, quae ibi coortae erant, sed etiam bellum contra Franciam gerendum postulabant, regem in occidenta-

1) doc. Adolfi datum Northusae 1295: Riedel II, I. 209; Gercken. cod. diplom. Brand. IV. 564. Quod documentum Ianuario 1295 datum esse satis constat; eo magis dolemus quod huius documenti nihil nisi fragmentum hucusque exstat.

2) doc. Adolfi datum Mulhusae die 8. Ian. 1295: Riedel II I. p. 210.

3) Boehmeri Reg. Ad. 234, 235.

4) doc. Adolfi datum 14. Ian. 1295: Urkundenbuch für Nieder-Sachsen N. 558; Boehmeri Reg. Ad. 425.

libus et meridionalibus partibus imperii adesse. Sed priusquam de Thuringia cessisset, rex quam maxime studuerat, ut pacem firmaret et rerum immutationem arceret. Quem ad finem pacis conservatores constituerat, per Saxoniam Ottonem IV., per Thuringiam duodecim comites et nobiles, quibus praeerat regi fidelis Gerlacus de Breuberg [1]); qui non solum pacem conservare, sed in universum vices regis tueri, praesertim animos nobilium regi conciliare iussus erat. Profecto virum ad has res magis idoneum rex vix creare potuisset. Gerlacus nobilis dominus de Breuberg, nobili et locupletissimo genere silvae Ottoniae ortus [2]), iam Rudolfo regi operam praebuerat et ab eo non solum praemia et honores acceperat, sed etiam magnae provinciae ei administrandae traditae erant [3]). Cum iam antea ei in Thuringia feuda commissa essent [4]), gratiam inierat ab Alberto landgravio qui eum fidelem suum in nonnullis documentis appellat [5]). Praesertim hac familiaritate res quibus Gerlacus operam dabat, promoverentur necessé erat; uterque coniunctus amicis Theoderici iunioris landgravii obsistere poterat. Iam tunc auctoritatem regis satis auctam fuisse ex eo intelligimus, quod Mulhusae praesentes ad-

1) cf. doc. Ottonis die d. 1. Aug. 1295 ap. Scheidt: Historische und diplomatische Nachrichten p. 350 et doc. d. die 18. Iunii 1296: Urkundenbuch f. Nied.-Sachs. N. 570: Nos Otto d. g. Brandenburgensis et de Landsberg marchio, conservator pacis per terram Saxoniae a serenissimo domino Adolfo Romanorum rege constitutus. cf. p. 60. not. 2.

2) cf. diplomatarium Breubergense apud Ioannem: Spicilegium tabularum veterum.

3) cf. Ioannem l. c. 379; fuerat advocatus regius in Wetteravia et conservator pacis in Thuringia.

4) cf. in diplomatario Breubergensi doc. Hermanni de Orlamünde d. die 26. Febr. 1287 et doc. Ludovici de Liebstedt d. die 25. Oct. 1290 Erfordiae, quo Gerlaco castrum Osmannstedt inter Apoldam et Wimariam situm iure feudali traditur.

5) cf. doc. Alberti die 9. Febr. 1290 Erfordiae d.

erant potentissimi comites Thuringiae de Beichlingen et de Querfurt [1]). His quoque Gerlacus adiutoribus uti poterat. Qua ratione obtigit ei, ut seditiosos cives Mulhusenses, quibus rex antea veniam dederat, quam maxime sibi conciliaret. Promissis 30 talentis per totam vitam ipsi quoque festo nativitatis Christi persolvendis, Gerlacus civitatem in omnibus negotiis sese promoturum et defensurum pollicitus est [2]). Deinde etiam Gerlacus Guntherum comitem seniorem de Kaefernburg regi conciliavit et cum eo de auxiliis regi mittendis pactus est. Comes spopondit se cum 30 armatis equitibus et omnibus castris suis, velutsi castra imperii essent, per unum annum regi et Gerlaco de Breuberg auxilium laturum contra Fridericum marchionem et Theodericum landgravium, fratrem eius eorumque adiutores et contra omnes hostes imperii. Cum 30 armatis in Thuringia se stipendia facturum, extra fines terrae autem, in terra Orientali, cum 15 equitibus. Remunerationem huius stipendii accepit 350 marcas argenti, quam summam ei Gerlacus simul persolvit, simul pignoribus munivit [3]).

Interea rex, ubi discordias in Helvetia ortas, composuit [4]), aestatem consumserat in apparatu belli, una cum Eduardo, rege Angliae, Philippo IV., regi Franciae, inferendo. Licet magnas pecunias ab Eduardo accepisset [5]) ipse ad bellum gerendum non accesserat, sed principes imperii Franciae finitimos adhortatus, erat, ut comitem Henricum de Bar adiuvarent, contra Philippum [6]). Insuper papa Bonifacius

1) sunt inter testes documenti die 14. Ian. 1295 Mulhusae dati.

2) doc. Gerlaci d. die 18. Iunii 1295 apud Grasshofium de Mulhusa p. 294. N. XXIII.

3) doc. Güntheri datum Gothae die 27. Febr. 1296 publici iuris factum a Fickero: Sitzungsberichte der Wiener Akademie der Wissenschaften XIV p. 180.

4) cf. de Wattenwyl de Diesbach: Geschichte von Bern I p. 176.

5) cf. Boehmerum: Reichssachen 177, 178, 179, 184 et Reg. Ad. 213. 6) Boehmeri Reg. Ad. 267.

VIII. regem reprehenderat, quod Franciae bellum inferre moliretur et a rege Angliae velut eques gregarius mercedem acciperet. Papa regem semel atque iterum a bello de hortatus est et quam maxime studuit ut pacem conciliaret [1]). Ceteroquin res Misnenses regem magis tenebant; fortasse etiam pecunia ab Angliae rege accepta ei facultas data erat cum maiore exercitu in terram illam redeundi, eamque imperio suo subiiciendi [2]).

Ineunte mense Augusto rex ex Germania meridionali Fuldam profectus est, ut inde in Thuringiam invaderet et loca quaedam, quae etiam nunc fideles Theoderici obtinebant sub suam ditionem subiungeret. Post aliquot dies Fulda cum magno exercitu, ex parte conducticio, accessit ad fines occidentales Thuringiae [3]) et capessivit obsidium castri Frankenstein. Quod castrum obtinebat Theodericus inde ab anno 1293, idque valido praesidio et commeatibus quam maxime muniverat. Castellani cum aliquamdiu exercitui regis obstitissent, eique magna detrimenta intulissent inter se discordes facti regi castrum, tradiderunt, ipsis vita et libertas concessa est [4]). Statim ex vetere iure abbas Fuldensis ecclesiae suae castrum vindicavit, idque obtinuit [5]). Deinde rex animo alacri accessit ad obsidendum castrum et oppidum Cruceburgum, quod in finibus Thuringiae et Hassiae sinistra ripa Werrae fluvii situm claustra, ut ita dicam, Thuringiae occidentem versus appellari poterat. Itaque rex hoc oppidum expugnare coactus erat. Contra Theodericus summa ope nisus erat, ut castrum et oppidum quam ma-

1) Boehmeri Reg. paparum 276, 277, 278, 280.

2) Adolfum illa pecunia suas res persecutum esse nobis enarrat Gotfriedus de Ensmingen ap. Bacherume: fontes II p. 135 ad a. 1294; ap. Pez. III p. 593 enarratur regem consilio archiepiscopi Moguntini usum ea pecunia Misniam emisse.

3) Ann. Colmarienses apud Pertzium XVII ad a. 1295.

4) Chron. S. Petri Erf. p. 306.

5) Schannat: Historia Fuldensis p. 219.

xime firmaret. Quod cum commeatu abundaret, imperitia obsidentium obsidio tracta est, donec quodam die contigit, ut oppidum, cuius cives domino suo fideles erant, incenderetur. Multitudo oppidanorum in castrum confugit et rex oppido potitus est. Quo factum est ut in castro obsessi aqua intercluderentur. Celerrime autem penuria aquae, qua iam obsessi premebantur, remota est ubi collusione cum quibusdam militibus ex regio exercitu aqua pretio parata est. Quae proditio cum regi delata et nocentes crudeliter interfecti essent, obsessi in tantas angustias adducti sunt, ut non solum cibos cerevisia coquerent, sed etiam equis potionem darent. Qua penuria tandem castellani, post quam diu et sine ullo fere detrimento exercitui regio obstitissent, se regi dedere coacti sunt; salvis tamen bonis, libertate, vita [1]). Plus quatuor hebdomadibus rex in obsidione consumserat. His castris expugnatis rex Isenacum se contulit, ibique per aliquot hebdomades in rebus Thuringiae versatus est. Antea iam ex castris ante Cruceburgum civibus Isenacensibus, Gothanis, Alberto landgravio praescripserat, ne abbatem Fuldensem iure suo, quod habebat in praediis nonnullis sitis in villa Hayna prohiberent [2]). Isenaci deinde studuit, ut pacem restitueret. Quem ad finem die 13. Nov. 1295, explicato consilio suo, omnes nobiles, ministeriales, civitates, incolas Thuringiae, qui pacem iuravissent, aut iuraturi essent, in fidem et clientelam recepit eosque contra omnes, qui iis iniuriam inferrent, salvis tamen eorum honoribus et iuribus, sese defensurum promisit [3]). Mense Decembri demum rex cum exercitu Isenaco profectus iam ad subiiciendam terram Misnensem processit. Theodericus et Fridericus fratres etiam tunc inter se discordes erant neque ex levis-

1) Chron. S. Petri Erf. ap. Menckenium III p. 306.

2) doc. Adolfi datum in castris ante Cruceburgum die 20. Sept. 1295 apud Schannatum: Hist. Fuld. p. 219.

3) Mon. Germaniae hist., leges II 463.

simo quidem vestigio intellegitur Theodericum, fratrem Fridericum, cui prima periculi procella sustinenda erat, adiuvisse. Contra hic in marchia Misnensi, quantum maxime potuit, imprimis episcopum et collegium episcopale quacunque ratione sibi obstringendo, auctoritatem et potentiam suam firmaverat. Ubi primum ad terram administrandam accessit non solum Withegoni episcopo emtionem Pirnae confirmaverat, sed etiam semper cum hoc viro familiaritate coniunctus fuerat. Quo mortuo collegium episcopale beneficiis multifarie oblatis sibi conciliaverat [1]). Deinde etiam Bernhardum episcopum Withegonis successorem firma amicitia sibi iunxerat; die 6. Iulii 1294 utrumque cum permultis militibus et clericis Doebelinae adfuisse reperimus, ubi Fridericus donationem avi Henrici marchionis, qua 6 marcae ecclesiae Misnensi ex moneta Fribergensi persolvendae erant, confirmavit et redintegravit. Henrico enim mortuo pecunia non persoluta erat, quare Fridericus ministris et monetariis suis etiam atque etiam commendavit, ut pecunia illa certis diebus accurate persolveretur [2]). Nihilominus eodem tempore materia dissensionis inter episcopum et marchionem suscitata erat, cum advocati et iudices Friderici ecclesiae Misnensi damna et iniurias intulissent. Quod ubi marchioni delatum est, saluti suae prospiciens, ad restituendum damnum promptissimus erat. Quem ad finem episcopo et ecclesiae Misnensi ius patronatus capellae S. Iacobi in castro aquatico [3]) cum omnibus bonis, quae ad eam capellam pertinebant, in sempiternam possessionem tradidit [4]). Marchionem, ubi conven-

1) cf. doc. Friderici data die 7. Iunii 1293 et dat. Misniae die 6. Iulii 1293 apud Gersdorfium N. 310 et 311.

2) doc. Frid. datum Doebelinae die 6. Iulii 1294 apud Gersdorfium N. 313.

3) quae est pars castri Misnensis Albim attingens.

4) doc. Friderici datum Misniae die 23. Iulii 1294 apud Gersdorfium N. 314.

tus ille Norimbergensis, qui coniici potest, non prospere cessit, eo magis studuisse ut episcopum sibi conciliaret, apparet. Itaque marchio Egrae coram permultis nobilibus terrae Misnensis exposuit, quondam avum suum Fridericum II. imperatorem ecclesiam Misnensem decima argentifodinarum circa castrum Scharfenberg donasse. Quam decimam in posterum episcopo Bernhardo omnibusque successoribus eius sese non retenturum fore bona fide pollicitus est; imo omni iure quod in illis argentifodinis habere posset, decessit idque ad ecclesiam Misnensem transtulit [1]): Ipse Bernhardus episcopus deinde die 10. Sept. 1294, quo tempore rex cum exercitu iam appropinquabat, in documento quodam marchionis non sine summa laude et gratia mentionem facit [2]). Die 30. Nov. 1294 quo tempore rex in terra Orientali castris expugnandis occupatus erat, Fridericus Fribergae coram satis multis equitibus et civibus in hospitium Fribergense iterum beneficium contulit [3]). Marchionem tunc bello parando operam dedisse nusquam apparet. Paullo post potentissimi vasalli eius, burggravii Meinherus de Misnia et Alhertus de Leissnig ab eo deficientes Lipsiae regi praesto fuerant; episcopus Bernhardus autem ibi non adfuit. Eum cum collegio episcopali etiam anno 1296 pristinum animum retinuisse ex eo intellegatur necesse est, quod, cum coenobia et ecclesiae marchiae Misnensis ab Adolfo praesente multa beneficia accepissent, neque ecclesiae Misnensis neque episcopi unquam mentio fit [4]). Hanc ecclesiam rex maximis beneficiis et muneribus

1) documentum Friderici datum Egrae die 25. Aug. 1294 apud Gersdorfium N. 315.

2) doc. Bernhardi datum Misniae, apud Gersdorfium N. 316; episcopus appellat marchionem Fridericum: illustrem principem Misnensem et Orientalem marchionem, Saxoniae comitem palatinum.

3) doc. Friderici apud Wilkium N. 86.

4) Diplomatarium Misnense a Gersdorfio editum continet omnia documenta ecclesiae Misnensis, neque ulla suspicio est huic operi documentum quoddam non additum esse, praesertim huius temporis.

iustis de causis explere debuisset, si ei, quod ab uno tantummodo auctore traditur, a marchione tot tantaque mala illata essent [1]). Quamvis igitur marchio rege appropinquante episcopo confidere posset, eo minus tamen fide vasallorum inniti poterat. Quae cum ita essent marchio vix sperare poterat, se regi eiusque permagno exercitui prospero successu obstiturum esse. Itaque consentaneum erat studere, ut bona cum gratia rem componeret et aliquam saltem partem terrae servaret. Sed etiam regem illo tempore rem non in summum periculum deduci iustis de causis cupivisse verisimile est. Haud ignorabat, Fridericum marchionem, virum animi stabilis et firmi, civitates et castra sua munitionibus, praesidiis, copia commeatuum firmasse [2]) et se fortissime defensurum esse. Itaque rex praevideret necesse erat, se in terra Misnensi per longum tempus retentum iri. Quantum temporis in obsidendis castris Frankenstein et Cruceburgo consumserat! Per integros quinque menses expeditio iam tracta erat! Contra res summi momenti eum in occidentalem Germaniam revocabant; bello cum Philippo rege Franciae nondum composito, dies paciscendo papa intercedente ad medium mensem Ianuarium 1296 dictus erat [3]). Adolfus qui pacem libenter composuisset, haud ignorabat reges Angliae et Franciae minime ad pacem inclinatos esse: praevideri poterat, tentatam compositionem non prospere cessuram, et bellum primo vere vehementius erupturum esse. Quare Adolfus

At satis magni momenti est, quod eius temporis quo rex in marchia Misnensi commoratus est fere nullum documentum exstet.

1) Chron. Osterhoviense ad annum 1294 apud Boehmerum: fontes II p. 537; apud Rauchium: Scriptores Austriae I p. 522; Eberhardus Altahensis ap. Boehmerum: fontes II p. 541. Quare non probaverim quae Kopp. III, I p. 97. 7 de hac re enarrat.

2) Ann. Veteror. ap. Menckenium II. p. 408.

3) Cammeracum legatos convenire constitutum erat; cf. Boehmeri Reichssachen 198; Kopp.: Geschichte der eidgen. Bünde III. I. 179.

quoque, qui socius Eduardi Angliae regis, iam priori anno Philippo IV. bellum indixerat, ab his rebus non diutius procul abesse poterat. Huc accedit, quod iam tunc controversiae cum Alberto Austriae duce sensim resurgebant [1]). His de causis regem quam primum res Misnenses componi cupivisse, non est quod pluribus exponam. Quae cum ita essent rex et marchio convenire constituerant, ut per colloquia omnes controversiae componerentur. Fide publica interposita Fridericus in festo nativitatis Christi 1295 Altenburgum advenit. Priusquam autem regem adire potuisset, marchionem in hospitio adesse militibus effrenatis nuntiatum est, qui statim cum armis catervatim accurrunt, in hospitium involant, tumultuantes omnes in marchionem in convivio accubantem irruunt. Cive Fribergensi, qui cum eo advenerat, turbae se obiiciente, marchio servatur; civis mortem pro domino suo subit [2]). Fridericus, qui fortasse hoc consilium regem contra se iniisse ratus est, statim Altenburgo fugit et fortissime resistendi consilium cepit. Adolfum neque huius consilii participem, neque facinoris conscium fuisse, satis constare videtur.

Paullo post rex ineunte mense Ianuario 1296 Altenburgo profectus [3]), Muldam transiit et Chemnitium iter fecit; unde ad obsidendam Fribergam castra movit [4]). Regis multum interfuisse ut hac civitate potiretur, apparet, nam prae-

1) Adolfus iam dudum suspicioso et attento animo omnes motus Alberti observabat et archiepiscopum Salisburgensem qui semper fere cum duce lites habebat, clam adiuvabat; cf. Boehmeri Reg. Ad. 253—55; 269, 271, 432.

2) Haec res cum nobis nusquam nisi in Ann. Veteroc. narretur, a quibusdam addubitata est; quare accuratius de ea verba feci n. additamento II.

3) documentum Altenburgi dedit die 29. Decembris 1295: Boehmer: Reg. Ad. 296.

4) documentum dedit Adolfus Chemnitii die 23. Ian. apud Wilkium N. 91.

terquam quod ea tunc opulentissima et frequentissima totius marchiae erat [1]), cum possessione eius possessio argentifodinarum coniuncta erat, quae marchioni semper subsidio fuerant. Fridericus, quo hunc locum quam maxime firmaret, non solum cives permultis beneficiis sibi conciliaverat, sed etiam fortissimum et fidelissimum quemque equitem in praesidio castri iuxta urbem siti collocaverat. Ineunte mense Februario rex obsidium Fribergae capessivit; brevi tempore proditione quorundam civium urbe potitus est [2]). Cum autem castrum, ubi proditores non inventi sunt, per longum tempus resisteret rex duos fere menses Fribergae commorari coactus est. Tandem contigit ei, ut, ubi muri suffossi corruerunt, magna ruina facta regii milites in castrum irrumperent et omnes qui in praesidio erant vivos caperent. Rex ira incensus, quod tam diu obstiterant, fortasse etiam quod oblatas conditiones reiecerant, summo iure cum captivis egit, eorumque sexaginta, nimirum hostes imperii, statim decollari iussit [3]). Eadem sors imminebat reliquis captivis, quibus rex deprecantibus nobilibus suis pepercerat. Quae severitas, cum ingentem pavorem in terra Misnensi excitasset, marchio Fridericus, ubi hic nuntius ei allatus est, celerrime consilium cepit, quo vitam horum virorum sibi ad tempus futurum reservaret. Quem ad finem oppido et castro Misnensi reliquisque castris traditis obtinuit, ut libertati et vitae captivorum parceretur [4]). Fridericus sic

1) cf. apud Tittmannum documentum die 4. Iulii 1225 datum; apud Hornium: Henricus Illustris docc. N. 49 et 57.

2) Chron. S. Petri Erf. ex emendato texto Wegeliano in Ann. Reinh. p. 272; primum documentum Adolfus Fribergae dedit die 19. Februarii; Boehmeri Reg. Ad. 298.

3) Eberhardus Altahensis apud Pertzium in Mon. Germaniae hist. XVII; Chronicon parvum Dresdense apud Menckenium III. p. 347; Ann. Veteroc. ap. Menckenium II. p. 409.

4) Ann. Veteroc. ap. Menckenium II. p. 409; delectat comparare qua ratione haec obsidio Fribergae ab historicis insequen-

marchionatu privatus cum paucis comitibus de terra cessit. Ubi locorum proximo tempore versatus sit, nobis nusquam traditur; unus auctor nobis enarrat Fridericum anno 1296 in Italiam se contulisse ibique a nonnullis civitatibus, quippe qui nepos Friderici II. esset, dominum receptum esse [1]). Quae narratio dominicanorum Colmariensium, qui semper fere res optime perspectas habent, sine dubio eo maiorem apud nos fidem habebit, ubi comparamus, quae nobis in carmine historico Nicolai de Bibera de legatis Langobardorum narrantur, qui anno 1281 in Thuringiam - Misniam venisse dicuntur, ut sibi nepotem Friderici II imperatoris dominum exorarent [2]). Attamen cum ab auctoribus Italicis eiusdem temporis huius rei nusquam mentio fiat, nihil pro certo affirmare possumus. Fridericum in Lusatia apud Theodericum fratrem versatum esse ne levissima quidem vestigia exstant. Item nobis nusquam traditur, regem Adolfum, ubi marchiam Misnensem imperio suo subiecit, Theodericum quoque aggressum esse. Qui princeps appropinquante regio exercitu anno 1294 de Thuringia cesserat et in Lusatiam se receperat, cuius terrae possessionem nemo impugnavit. Cum Adolfus in Thuringia et in terra Orientali castra Theoderici expugnaret et deinde Friderico, fratri eius, marchiam Misnensem adimeret, ipsius Theoderici nusquam mentio fit. Per totum fere annum 1295 Gubenae versatus est [3]). Omnino non pauca exstant documenta, ex quibus intelligitur, Theodericum cum uxore sua et cum multis equitibus, his annis in

tium saeculorum ornata sit: Mollerus Theatrum Fribergense, Fribergae 1653.

1) Filius marggravii Thuringie venit in Lombardiam et quedam civitates eum dominum acceperunt: Ann. Colmarienses apud Pertzium XVII. ad. a. 1296.

2) cf. carmen occ. aut. apud Hoeflerum: Sitzungsberichte der Wiener Akademie der Wissenschaften 37, 3; de chronologia cf. additamentum I.

3) doc. Theoderici, ap. Wilkium N. 88.

omnibus partibus Lusatiae versatum, bona pace terrae administrandae operam dedisse [1]). Annis 1294—96 Theodericum ipsum in bellis quibus ei possessiones in Thuringia et in terra Orientali ademtae sunt, contra regem arma non tulisse satis constare videtur. Licet rex non tentavit, ut Lusatiam quoque imperio suo subiiceret, exstant tamen testimonia, ex quibus intelligitur, hanc terram pro feudo vacuo habitam esse [2]).

Rex Adolfus, ubi castro Fribergensi expugnato, Misniaque tradita, totam terram imperio suo subiecit, per longum tempus ibi versatus est, ut res mutatas quam maxime stabiliret et firmaret. Fribergae equitibus ordinis Teutonici possessionem pristini coenobii Zschillen, quod eis Withego episcopus tradiderat, confirmaverat [3]). Abbati coenobii Chemnitz, ad reditus coenobii augendos, concessit, ut bona imperii usque ad 50 marcas annui reditus acquireret [4]). Tribus dominis de Plauen, qui stipendia meruerant in terra Misnensi, promissis 600 marcis argenti castrum Hirschberg oppigneravit [5]). Maioribus beneficiis rex coenobium Seuselitz donavit, cui non solum concessit, ut reditus 100 marcarum acquirere posset, sed etiam in suam et in imperii clientelam coenobium receptum, advocatum illius regionis defendere iussit [6]). Similia beneficia coenobiis Buch et Veteris Cellae oblata sunt [7]).

Rex, cum iam maiori constantia ad bellum contra regem Franciae gerendum accedere in animo volutaret, Altenburgi litteris scriptis cives Vesontinos invitavit ad com-

1) cf. docc. Theoderici ap. Wilkium 89, 90, 93, 100.

2) cf. doc. ap. Riedelium II, II. p. 143; cf. Lausitzisches Magazin Bd. 21, p. 69 ss.

3) Boehmeri Reg. Ad. 299.

4) Boehmeri Reg. Ad. 300.

5) Boehmeri Reg. Ad. 433.

6) Reg. Ad. 302, 303.

7) Reg. Ad. 305, 306.

mune concilium, quod in diem S. Iohannis Francofurtum convocabat. In his litteris civibus nuntiavit sese principatus Thuringiae, Misniae, terrae Orientalis imperio suo subjecisse [1]). Inde rex convenit Wenceslaum Bohemorum regem in coenobio Grünhain [2]), ubi liberi utriusque regis coniuncti sunt; iuvenis Rupertus, regis Adolfi filius, sponsam suam in Bohemiam secutus est. In hoc conventu principum res imperii quoque tractatas esse, non est quod pluribus exponam. Adolfus a coenobio profectus est Lessnitium, ubi coenobio Veteris Cellae beneficium quoddam impertiit; deinde Zwiccaviam se contulit. Cives huius urbis regi privilegium proposuerunt, quo Henricus Illustris eiusque filius et nepos, Theodericus et Fridericus, marchiones Landsbergenses, iis concesserant, ut intra fines marchiae Misnensis in omnibus nundinis a tributo, quod dicebatur Ungelt liberati essent; quod privilegium rex civibus supplicantibus confirmavit [3]). Zwiccavia rex Altenburgum et Lipsiam, deinde in Thuringiam profectus est; festum Pentecostos Numburgi celebravit. Priusquam autem de terra Misnensi cessisset, Henricum de Nassau, nepotem suum [4]), iudicem provincialem per terram Misnensem constituit, eique marchiam administrandam commisit [5]). Fortasse rex hanc marchiam domui suae possessionem hereditariam acquirere animo agitabat; quod consi-

1) Boehmeri Reg. Ad. 304; litterae scriptae sunt Altenburgi die 8. Aprilis 1296.

2) Boehmeri Reg. Ad. ad mensem Aprilem 1296; Schoettgen.: diplomata et scriptores Germ. II. p. 533.

3) doc. Adolfi datum Zwiccaviae die 20. Aprilis 1296, apud Wilkium 92.

4) Henricus erat filius Ottonis comitis de Nassau, eiusque uxoris Agnetis; cf. doc. utriusque coniugis datum die 3. Maii 1289 et die 23. Iulii 1292 apud Gudenum: cod. dipl. II. p. 261 et 274; Henricus iam priori anno regem concomitatus erat; est inter testes documenti Adolfi dati die 8. Ian. 1295.

5) Ann. Veteres. ap. Menckenium II. p. 410.

lium, quominus exsequeretur, et inopia virium et praematura morte impeditus est. Alioquin consentaneum fuisset Wenceslao regi, qui illo tempore terram Plisnensem pignoris loco possidebat, hanc terram quoque defendendam tradi. Insuper Wenceslao hoc tempore contigerat, ut partem terrae Misnensis sub suam ditionem subiungeret; unde postea fere totam marchiam sibi comparavit. Pactus enim erat cum Friderico Heinrici Illustris filio, marchione Dresdensi, ut civitates et castra Dresden, Radeberg, Tharand, Dippoldiswalde, Willansdorf, Liebenthal et Ottendorf, quae marchio iure feudali a rege acceperat, Hermanno et Friderico de Schoenburg fratribus custodienda traderentur. Qui nobiles has civitates et castra Wenceslao regi eiusque heredibus bona fide se tuituros et sine mora traditurus fore polliciti sunt, si marchio sine legitimis heredibus mortuus esset, aut feuda eo vivo legitimis de causis vacassent [1]). Paullo post Wenceslaus a Bernhardo episcopo Misnensi, cuius ecclesia iam antea exhausta bello perniciosissimo ad extremum inopiae venerat, consentiente collegio episcopali, oppidum et castrum Pirnam 4000 marcarum argenti emerat [2]). Contra rex Agnete filia mortua terram Plisnensem amisit [3]), quae iam Henrico Nassovio administranda tradita est. Henricus inde sese iudicem generalem per terram Plisnensem et marchiam Misnensem appellat [4]).

Adolfus rex Numburgi aliquamdiu versatus est. Coe-

1) doc. utriusque fratris datum Pragae die 4. Augusti 1294 apud Pelzelium: Abhandlungen der böhmischen Gesellschaft der Wissenschaften 1787.

2) quae emtio facta est ante diem 12. Oct. 1296, quo die Bernh. mortuus est: doc. Alberti episcopi Misnensis (1296—1312) datum die 19. Aprilis 1300, apud Gersdorfium 324.

3) cf. Boehmeri Reg. Ad. ad mensem Aprilem 1296.

4) cf. doc. Altenburgi die 22. Maii 1297 datum apud Menckenium III. p. 1082 ss. et doc. Altenburgi d. 22. Ian. 1298 d. a p. Schoettgen.: dipl. et ss. II. 217.

nobio Marienthron apud Grimmas decimam metallorum, quam ei Henricus marchio impertitus erat, cum omnibus reliquis privilegiis confirmavit et coenobium simili ratione, qua antea coenobium S. Clarae Weissenfelsense in tutelam suam recepit.[1]) Eodem die quo rex Numburgo profectus est, pactionem fecit cum Henrico Merseburgensi episcopo, qua ille castra Neuenburg et Eckartsbergam ad mandatum regis, acceptis 3500 marcis argenti se traditorum pollicitus est.[2]) Numburgo rex iter pergit Weissenseam et Isenacum, ubi abbati et coenobio Portensi lacum apud villam Gross-Brambach, advocatiam in villa Zebekur et omnia praedia confirmavit.[3]) Deinde ubi rex coenobio Volkolderode, ad restituenda damna ab exercitu suo illata reditus duarum marcarum attribuit[4]), Francofurtum iter fecit; in Thuringiam nunquam rediit.

Vice regis in Thuringia feliciter et prospere functus est Gerlacus de Breuberg, quamvis potentia et opes amicorum Theodorici nondum fractae essent. Imo etiam, dum rex castrum Fribergense obsidet, fortuito concursu nobiles, qui a partibus iunioris landgravii stabant, iusto fere proelio cum adversariis congressi sunt. Quod proelium factum est dominica Laetare 1296 apud villam Eschenbergam haud procul a Gotha. Regii milites, paene victoriam adepti, ubi quidam socii turpissime in fugam se coniecerunt, quamvis fortissime restitissent, superantur, multi capiuntur. Cives Gothani et Gerlacus de Breuberg, quibus hic nuntius sero al-

1) Boehmeri Reg. Ad. 310. 311.

2) Reg. Ad. 312; castrum quod Numburgi erat intelligi non potest, quod apparet, ubi nobis in memoriam revocamus ineunte anno 1295 castra Neuenburg, super Friburgum situm, et castrum Eckartsbergam finitimum ab Ottone IV 3000 marcarum redemtum esse.

3) doc. Adolfi datum Isenaci apud Bertuchium Chronicon Portense I. p. 298.

4) doc. Adolfi datum die 1. Iunii 1296 Vachae apud Grasshofium de Mulhusa p. 187.

latus est auxilio venire non poterant[1]). Gerlacus hoc tempore magnopere occupatus erat discordia, quae inter militem quendam, Alexandrum de Wernrode, et coenobium Walkenried orta erat. Quae res anno 1297 demum transacta est, cum eques ille iudicia conservatorum pacis ipsiusque regis contemneret[2]).

Res Alberti landgravii et Alberti iunioris praesentia regis et bello in Thuringia gesto nulla parte immutatae erant. Ex testimoniis, quae multae exstant, intelligitur landgravium iisdem iuribus et officiis terrae administrandae operam dedisse quibus antea. Imprimis illo tempore Albertus studuit, ut clarissimo coenobio Reinhardsbrunnensi, quod ad egestatem redactum erat, opem ferret. Non solum concessit, ut praedia vendita redemi possent[3]), sed etiam coenobium contra superbias equitum quorundam defendit[4]). Albertus iunior quoque, ut benevolentiam et obsequium abbatis remuneraretur, acceptis 20 marcis argenti, octo villas ecclesiae Reinhardsbrunnensis patre consentiente a vectigali octo marcarum vindicaverat, quae ei singulis annis ex more in castrum suum Teneberg referebantur[5]). Paullo post coenobium praedio Waltershusae sito donavit, ut fratres per totam vitam in precibus sui et uxoris suae recordarentur[6]).

1) Ann. Reinh. p. 273. 274.

2) cf. docc.: Urkundenbuch für Nieder-Sachsen I, III. N. 567, 568. 569. 570. 580.

3) cf. doc. Alberti datum die 30. Nov. 1293.: Thuringia sacra 216; docc. abbatis Georgenthalensis data die 23. Febr. 1295 et die 13. Dec. 1296: Thuringia sacra p. 217;

4) cf. documentum Alberti datum Erfordiae die 31. Maii 1297 et documentum militum de Dollstedt datum Gothae die 3. Iunii 1297: Thur. sacra p. 218.

5) documentum Alberti iunioris datum Reinhardsbrunn die 4. Decembris 1295 apud Hahnium: Collectio monumentorum ineditorum I. p. 106.

6) documentum Alberti iun. datum Teneberg die 10. Oct. 1296: Thuringia sacra p. 130.

Albertum cum Gerlaco concordia coniunctissimum fuisse ex eo intelligitur, quod colluserunt, ut Mulhusam, urbem imperialem Alberto oppigneratam, totam imperio eius subiicerent. Quem ad finem cives incusarunt, quod praeter ius portorium instituissent, nummos signavissent aliaque iura sibi vindicavissent. Mulhusenses vero arbitris, Alberto de Brandenberg, Henrico de Mila, Heinemanno de Hain, Hermanno de Hirsingerode, consiliariis landgravii, argumentis firmissimis demonstrarunt se omnibus his privilegiis optimo iure uti inde a temporibus Friderici imperatoris. Quod cum iureiurando interposito firmassent, landgravius incepto desistere coactus, sese in posterum cives iuribus non prohibiturum pollicitus est [1]).

Quae dum in Thuringia geruntur auctoritas regis per totam fere imperium imminuta est et potentissimi principes ei infesti facti sunt. In contione permultorum principum, qui ad celebrandum diem, quo Wenceslaus rex Bohemiae coronatus est, mense Iunio 1297 Pragam convenerant primo de removendo rege occultis colloquiis actum est [2]). Auctor quidam nobis enarrat Theodericum et Fridericum marchiones huic contioni interfuisse. [3]) Venerabundis quidem verbis praesentes principes et archiepiscopi Gerhardus Mog. Wigbertus Colon., Wenceslaus rex Bohemiae, Otto IV. et Otto Longus, marchiones Brandenburgenses, confirmarunt donationem illam, qua rex coenobio Volkolderode damna resarciverat [4]); brevi tamen tempore, post multas controversias, bellum inter regem et Albertum Austriae ducem exarsit. Adolfus exercitum, quem collegerat, ut una cum Eduardo Anglіae rege, Philippum IV. aggrederetur, ubi inducias inter illos factas nuntiatum est, [1]) contra adversarios suos mittere poterat, statimque Alberto appropinquanti in Sueviam obvius processit. Nihilominus auxilia circumspexit. Memoratu dignum est et res Thuringiae immutatas accuratissime notat, quod comites et nobiles Thuringiae, qui antea semper fere cum landgravio rerum in imperio gestarum nullum rationem habuerant, iam promptissimi erant ad auxilium Adolfo contra principes ferendum. Profecto vix dubitari potest quin haec commutatio rerum magna ex parte virtute et diligentia Gerlaci de Breuberg facta sit, qui in Thuringia quantum maxime potuit regis et imperii commoda promoverat. Rex Gerlaco fratri et filio eius, ut ei de damnis acceptis et de pecunia, qua castrum Rastenberg et alias possessiones imperii redemerat, caveret, oppigneraverat 4400 marcis oppidum Mosbach et monetam Hallensem [2]). Cum comitibus et nobilibus Thuringiae regis avunculus, Eberhardus comes Cattimelibocensis pactus est. Otto comes de Anhalt, Fridericus de Beichlingen, Gerhardus de Querfurt, Otto de Orlamünde, Fridericus de Rabenswalde, Guntherus de Schwarzburg, permulti alii nobiles, polliciti sunt sese trinos, quaternos aut plures dicta pecuniae summa certum armatorum numerum communiter coacturos [3]). Sed haec auxilia Thuringica regem non adiuvisse videntur, nam priusquam collecta essent, Adolfus die 23. Iunii 1298 a principibus ab imperio remotus, nono die post in proelio cum Alberto occisus est [4]).

1) doc. Alberti datum Isenaci die 17. Maii 1297 apud Wilkium N. 98.

2) cf. Chron. S. Petri Erf. p. 307 et Siffridum Presbyterum Misnensem in compendio historiarum apud Pistorium I. 1047.

3) Ottocar. (de Horneck) p. 652.

4) doc. horum principum exstat apud Riedelium in cod. dipl. Brand. II, 1. p. 492.

1) cf. Boehmeri Reg. Ad. ad mensem Sept. 1297.

2) doc. Adolfi regis datum Oppenheim die 10. Iulii 1297 in diplomatario Breubergensi N. 12: Ioannis spicilegium tabularum veterum.

3) doc. Adolfi datum Oppenheim die 11. Martii 1298 apud Wenkium: Hessische Landesgeschichte, katzenelnbognisches Urkundenbuch p. 66.

4) cf. Boehmeri Reg. Adolfi ad diem 2. Iulii 1298.

Morte Adolfi regis res Thuringiae-Misniae in meliorem statum mutatae sunt. Albertus landgravius eiusque filii, cum discordiis suis in magna mala coniecti essent, in gratiam reconciliati ex eo tempore terras amissas sensim recuperare coeperant. Plus decennium praeteriit, priusquam multis laboribus et certaminibus recepissent, quae propria culpa amiserant. Qua ratione usque ad annum 1310 terram Misnensem et Thurigiam recuperaverint alio loco exponam.

Additamentum I.

Explicantur quaedam de „carmine occulti autoris historico" quod publici iuris factum est a Hoeflero: Sitzungsberichte der Akademie der Wissenschaften zu Wien, Bd. 37, 3.

Hoc carmen hexametris leoninis conscriptum exstat, auctore Hoeflero, in manuscripto saeculi XIV, quod nuper in bibliotheca Pragensi iterum inventum est. Argumentum eius ad illustrandam historiam generis humani quoad vitae cultum moresque et artes, quales saec. XIII imprimis in Thuringia fuerint, summi momenti est. Divisum est in quinque „distinctiones", quarum prima multum valet ad explicandam eruditionem et litteras, ad quas illo tempore viri magni incumbebant, qua ratione antiquitati eruditae, arti metricae, philosophiae cc. operam dabant.

Poëtam huius carminis, Nicolaum de Bibera, Thuringum nobili loco ortum, esse ex quaestione Hoefleri: Sitzungsbericht der W. Ak. d. W. Bd. 38, I. p. 149—55 verisimile factum est. Quo tempore hoc carmen conscriptum sit Hoeflerus in universum exposuit. Attamen mihi quaedam huc conferenda sunt.

Ac primum quidem, quo tempore prima ‚distinctio' conscripta sit, magni momenti sunt versus 460 ss. et 497, quos eo tempore scriptos esse in aperto est, quo Erfordia nondum excommunicatione absoluta erat, id est ante festum Paschale anni 1282. Erfordia enim excommunicata fuit per triginta menses, (cf. Chron. S. Petri Erf. p. 292) unde apparet excommunicatam esse circa festum Michaelis 1279. Itaque versus 460:

Sic erdfrodenses per bis denos quia menses
non sunt correcti —

nonnisi per mensem Maium 1281 scriptus esse potest. Quam sententiam probant versus 505 et 506.

In ‚distinctione' II. v. 510 „marchio misnensis" est Henricus Illustris, quod magis in promptu est in versu 541 ss. Hunc enim poëtam fuisse inter omnes constat et v. 532 senior marchio appellatur. V. 513 „Antistes wetego" est Withego I. episcopus Misnensis 1266—93 (cf. Gersdorfium in codice diplom. Saxoniae II. I. in praefatione XVIII) Nuntius a marchione anno 1252 Romam missus, V. 546, ut papae carmen praesentaret, noster Henricus burggravius de Kirchberg est, cui totum carmen dedicatum esse videtur. Hanc secundam distinctionem eodem anno 1281 conscriptam esse ex eo intelligitur, quod auctor refert vix duos menses et tres dies praeteriisse, ex quo nuntiatum sit, Hungarorum regem uxore legitima repudiata excommunicatum esse: V. 806: „factus fore dicitur exlex".

Quae narratio eo pertinet, quod rex Ladislaus Cumanus 1281 uxore, Caroli Siciliae regis filia, repudiata, a legato papae, accedentibus aliis quibusdam peccatis, excommunicatus est. (cf. de his rebus Chron. Salisburgense apud Pezium: Scriptores Austriae I p. 382 et Rainaldum: Annales ecclesiastici ad annum 1280 et 1281). Unde constat hanc dist. II. anno 1281 conscriptam esse. Iam hac ratione pro certo affirmare possumus legationem illam Langobardorum eodem anno 1281 in Thuringia fuisse; legimus enim

V. 549: Huc quod ab hoc soboles sua q u e r i t u r et sua proles
Per lombardorum populos ut rex sit eorum
et versu 552: Quorum legatos cum n u p e r marchio gratos
Idem susciperet.

Eodem anno 1281 legatos Longobardorum in Thuringia fuisse nobis traditur in Historia de Landgraviis Thuringiae apud Eccardum: Historia genealogica principum Saxoniae superioris p. 351 ss. Huc pertinet quod nobis traditur in Ann. Colmariensibus apud Boehmerum: fontes II. p. 33. Auctores Italici aequales nihil de hac re tradunt: Muratori, Scriptores rer. It. T. IX, X.

Quarta ‚distinctio' nonnisi Erfordia excommunicatione absoluta conscripta esse potest; id est sub finem 1282, sive potius prima aestate 1283, quod certamen illud Erfortensium cum Theoderico non ante initium anni 1281 factum esse potest. Verba: „puto quod sit tercius annus" intelligo: ich meine, dass es schon ins dritte Jahr geht, seit —; si quis autem intelligit, quod mihi quidem abhorrere videtur a sensu verborum: ich meine, dass schon drei Jahre herum sind, seit — anno sequenti perscriptionem huius distinctionis attribuere cogimur. Sed haec interpretatio refutatur etiam versu 1254 ss. Constat enim seditionem Volradi de Gotha (cf. Chron. S. Petri Erf. apud Menckenium III. p. 292), quam nuper accidisse his versibus significatur anno 1283 factam esse. Unde apparet hanc distinctionem non post annum 1283 conscriptam esse. Quo eodem tempore et quintam distinctionem conscriptam esse ex eo intelligitur, quod V. 2135 narratur. Bernhardus de Woelpe archiepiscopus Magdeburgensis electus est anno 1279, (sed, ut decessor eius neque confirmatus, neque consecratus obiit anno 1281; cf. Hoffmann: Geschichte der Stadt Magdeburg Bd. I, p. 192.) Adiectis triduo et quatuor mensibus idem annus 1283 efficitur unde etiam confirmatur quartam distinctionem non post annum 1283 conscriptam esse posse.

Iam corrigendum mihi videtur quod Hoeflerus p. 186 per errorem Witegim Merseburgensem episcopum appellat, auctore Paulo Langio in Chronico Numburgensi. (P. Langius, monachus Bosaviensis, prope Cizam, vixit initio saeculi XVI). Intelligendus est Withego I. episcopus Misnensis 1266—93, cuius mentio fit V. 513: »Antistes wetego.« Merseburgensis episcopus tunc erat Fridericus, qui nominatur in documento Rudolfi regis dato die 14. Maii 1282 (Boehmeri Reg. Rud. 665); cuius successor in episcopatu fuit Henricus (Boehmeri Reg.: Reichssachen 149) qui iam die 15. Sept. 1282 electus appellatur in documento apud Gersdorfium in codice diplomatico Saxoniae regiae II, I N. 253.

Additamentum II.

Locus annalium Veterocellensium qui in controversia est, exstat apud Menckenium II p. 408. Quo loco, ubi expositum est marchionem Fridericum fide publica interposita Altenburgum venisse, haec verba:

— »ubi compertum fuit Marchionem Fridericum in hospitio adesse, mox Suevi, correptis armis cum potentia ad hospitium accurrunt, ipsumque in mensa sedentem occidere satagabant: quod praevidens quidam civis Fribergensis, qui cum ea advenerat, sese inter marchionem et vibratum percussoris gladium celeriter opposuit, sicque mortem pro domino suo marchione dedit.«

Res quae hic narratur nusquam alibi traditur. Addubitavit eam Guenderode: Leben des römischen Königs Adolf p. 61, quod nusquam nisi in hoc unico fonte tradita sit, cui, quippe quod serioris aetatis sit, nulla fides habenda. In sententiam Guenderodii discessit Koppius: Geschichte der eidgenössischen Bünde III, I p. 97, 3. Guenderodium autem

verba auctoris nostri omnino non intellexisse contendo. Ac primum quidem dicit marchionem Fridericum apud mensam regiam, coram rege invasum esse: quod vero auctor noster ne verbo quidem commemorat! Cum sic verba non recte intellexisset, mirari non possumus, quod hanc rem totam repudiavit, quae profecto minus cadebat in naturam laudatoriam et apologeticam illius libri. Perlustrantes verba auctores fieri non potest, quin intelligamus marchionem statim post adventum, ubi regem nondum adiit, in »hospitio« invasum esse. »Hospitium« aut publicum hospitium est: eine öffentliche Herberge, aut, quod quidem verisimilius, domus cuiusdam hospitis, civis Altenburgensis. Scimus Altenburgi castrum imperiale fuisse, ubi interdum imperatores, ut Fridericus I., versati sunt; iam regem in castro habitasse verisimile est; quare auctor noster scripsisset non hospitium, sed castrum, si significare voluisset marchionem apud regem fuisse. Omnino nullo verbo auctoris coniici potest regem facinoris conscium fuisse! Deinde, qui tandem civis Fribergensis mensae regiae particeps factus esset? Qui tandem rex marchionem, qui modo advenerat, qui nondum regem adierat neque se subiecerat — qui tandem rex hostem imperii, statim mensae suae participem facere potuisset? Cur rex, qui cum permagno exercitu suo marchionem facile vincendi certam spem habebat non pertimuisset culpam caedis, quae auctoritatem et honorem eius imminuisset necesse erat? Praeterea tale facinus maxime abhorret ab ingenio Adolfi! His rebus omnibus mihi quidem satis constat, regem huius facinoris innocentem fuisse. quod contra optime quadrat in effrenatos mercenarios eius! Iam quaerendum est qua de causa auctor noster hanc rem fingere potuisset. Occurrit nobis nulla causa; nam si civem Fribergensem laudibus efferre voluisset ante omnia eius nomen dixisset. Huc accedit, quod fides auctoris nostri, quamvis non satis aequalis his rebus vixisset, nusquam fere addubitari potest et ea quae tradit, ab omnibus, qui historiam huius temporis per-

tractarunt, in usum historiae conversa sunt. Exempla quaedam afferram, quibus apertum fit, auctori nostro, quamvis quoad chronologiam saepissime a vero aberret, in rebus ipsis optimo iure fidem non abrogandam esse. Ac primum quidem in memoriam revoco, neminem nisi nostrum auctorem de venditione marchiae Landsbergensis quaedam tradidisse: testimonium eius satis multis documentis confirmatum est. Deinde nusquam, nisi in annalibus Veteroc. belli inter Theodericum et Fridericum ex una parte, marchiones Brandenburgenses ex altera parte, anno 1293 gesti mentio fit: quod confirmatum est documento illo Theoderici die primo Septembris 1293 Lipsiae dato. Postremo ea quae nobis in his annalibus de expugnatione castri Fribergensis traduntur, verbo tenus fere ab Hermanno Altahensi narrantur.

His expositis satis demonstrasse puto auctore annalium Veterocellensium in hac re fidem non abrogandam esse.

Vita.

Natus sum Fr. Theobald Fischer pridie Cal. Febr. 1846 in villa Kirchsteitz haud procul a Zica Borusso-Saxoniae. Evangelicae confessioni adscriptus vitam per decem annos degi in praedio parentum, quibus vivis quorumque summo amore ut nunc gaudere possem deus propitius permisit. Anno decimo peracto puer instructus primis litterarum rudimentis post festum Paschale anni 1856 accessi ad gymnasium Zicense et in numerum discipulorum sextae classis receptus per octo annos studio et diligentia ad omnes pariter scientiarum partes, quae tractabantur in singulis classibus, incubui, quamvis oculorum morbo aliquamdiu impeditus essem. Examine superato in universitatem Heidelbergensem die 18. Aprilis 1864 transmigravi et philologiae et historiae studiosus philosophorum ordini adscriptus virorum illustrium Ludovico Haeusser, H. Koechly, C. Mendelssohn-Bartholdy, de Reuchlin-Meldegg institutione usus sum. Expleto unius anni spatio redux in provinciam patriam Halis per biennium studiis operam dedi, magistris usus viris praeclaris, in rebus philologicis Bergk, Bernhardy, Zacher, Lucae; in philosophicis Erdmann, Schaller, Ulrici; in historicis Duemmler, Hertzberg; praeterea per duo semestria sodalis seminarii philologici extraordinarius, per unum ordinarius fui; item per tria semestria exercitationum historicarum in aedibus Duemlerianis particeps factus sum. Ad reficiendam valetudinem priori anno maiorem partem veris et aestatis in montibus silvae Hercyniae transigere

coactus, studiis promovendis bibliotheca Wernigerodana eximia liberalitate custodum mihi patuit. Initio auctumni prioris anni ad universitatem Bonnensem accessi, et ad seminarium historicum admissus sum. Studia historica maxime promota sunt institutione virorum praeclarissimorum a Sybel, Kampschulte, Schaefer et Springer et Bernays. Quibus magistris meis omnibus summa gratia me obstrictum confiteor, quam referre, cum vires me deficiant, perspiciant his verbis gratum animum meum.

THESES.

1) Non recte affirmant Raumer (Hohenstaufen II, 167) et Reuter (Alexander III, 2, 255) Fridericum I. imperatorem post pugnam ad Tusculanum die 29. Maii 1167 commissam de obsidione Anconae oppidi recessisse.
2) Per errorem Wackernagel affirmat Ulrici de Zatzikhoven poëma Lancelet omnium poëmatum, quae dicimus aulica (Aneïdem Veldeckii si excipimus) esse primum i. e. etiam Ereckio Hartmanni prius esse compositum.
3) Historia in gymnasiis ita tractanda est, ut in historia Graecorum et Romanorum fontium, ex quibus haurienda sit, ratio habeatur, in historia medii et recentioris aevi res gestae accurate enarrentur.
4) Errant qui vitae Henrici IV. auctorem se invenisse putant.
5) Dea Germanorum Nerthus, cuius mentionem facit Tacitus (Germania 40) non est idem deus, qui in Edda Niördhr nominatur, sed ahd. erda sive herda.
6) Carminis Wessofontani tres partes uni eidemque poëtae attribuendae sunt.

Additamentum III.

Stemma landgraviorum Thuringiae ex stirpe Ludovici Barbati et ex stirpe Wettinica.